This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

GL
30
Z75



O. 275

Harvard College Library.

FROM THE

LUCY OSGOOD LEGACY.

"To purchase such books as shall be most needed for the College Library, so as best to promote the objects of the College."

Received 17 May, 1897.

QUAE RATIO INTERCEDAT INTER LYSIAE EPITAPHIUM ET ISOCRATIS PANEGYRICUM.

SCRIPSIT

DR. PHIL. EUGEN WOLFF, 1867–

BEROLINI.
APUD MAYERUM ET MUELLERUM.
1896.

Gl 30.275

HARVARD COLLEGE
MAY 17 1897
LIBRARY.
Lucy Wigood fund.

Pars I.

Quibus causis viri docti adhuc usi sint, ut epitaphium Lysiae spurium demonstrarent.

Quamquam permulti iam viri docti de Lysiae epitaphio disseruerunt, tamen denuo me rem tractare neminem pigeat. Neque enim illi rem ita confecisse mihi videntur, ut omnis dubitatio tolleretur. Nam alii epitaphium etiamsi a Lysia abiudicant, tamen huius oratoris fere tempore scriptum putant[1]); alii Charisii aequalem supposuisse sibi persuaserunt[2]). Nec desunt, qui non satis accurate demonstratum esse existiment Lysiam illum componere non potuisse[3]). Itaque rem retractandam mihi proposui. Ac primum quidem, quo melius omnes causae statum cognoscant, quae in utramque partem disputata sunt, brevissime exponere mihi in animo est. Qua in re ab antiquis proficisci aequum est.

1. Quid veteres de epitaphio iudicaverint.

Per totam antiquitatem epitaphium Lysiae tributum esse satis constat. Nusquam enim apud grammaticos, etsi non raro eius mentio fit, illud εἰ γνήσιος occurrit. Neque Dionysius Halicarnassensis eum reiecit, qui πολλοὺς ἤδη τῶν ἀναφερομένων εἰς αὐτὸν λόγων καὶ πεπιστευμένων ὑπὸ τοῦ πλήθους, ὥς εἰσιν ἐν τοῖς πάνυ γνησίοις τοῦ Λυσίου ... ὑποπτεύσας τε καὶ βασανίσας[4]) de epitaphio nil dubitat.

[1]) cf. Blassii Att. Bereds. I² 472.

[2]) Wilamowitzius apud Dielsium, Abhdl. d. Berl. Akad. 1886 p. 35.

[3]) Dielsius l. c.; Wendlandus Hermes XXV p. 181 ff.

[4]) de Lys. iud. c. 12 p. 477 R.

Item, quicumque artem rhetoricam composuit sub Dionysii nomine traditam, Lysiam epitaphii auctorem appellat [1]) neque habemus, cur illum, qui ad nos venit, non intellegamus. Nonnullos epitaphii locos Lysia scriptore nominato Harpocratio, Philemo, scholiasta ad Aeschinis in Ctesiphontem orationem, Tzetzes, alii afferunt, quos apud Lebellum evolvas [2]). Vel complurium epitaphiorum Lysiae testes sunt scholiasta ad Aristidis Panath., Theo, Photius, Hermogenes, Suidas, Eudocia [3]).

Maximi vero Aristotelis testimonium esse oportet, qui rhet. III 10,7 epitaphii paragraphum sexagesimam citare videtur, de quo infra disputabo.

2. Quid recentiores iudicaverint.

Sed veterum iudicio recentiores retineri non potuerunt, quin epitaphium spurium censerent. E quibus primus ita iudicavit Reiskius [4]). quem multi secuti sunt velut Valkenaerius, Fr. A. Wolfius, Sluiterus, Dobreus, Sauppius, Hoelscherus, Eckertus, Wilamowitzius, multi alii.

Neque vero defuerunt, qui Lysiam auctorem defenderent velut Taylor, Marklandus, K. O. Muellerus, K. Fr. Hermannus, Westermannus, Kruegerus, alii. Videamus nunc, quid viri docti habuerint, cur epitaphium a Lysia abiudicarent. Nam recte Dobreus monet [5]) minime nos antiquitatis praeiudicio deterreri debere, quominus nostris oculis utamur, cum constet Dionysium nonnumquam erravisse velut de oratione περὶ Ἀλοννήσου habita vel de epistula ad Philippum scripta. Id tamen retineamus orationem genuinam habendam esse, nisi gravissimae causae, quibus contrarium demonstretur, proferantur.

---

[1]) C. 1 p. 259 Reiske.

[2]) Lebeau „der Epitaphius des L. als echt erwiesen." Stuttg. 1863. p. 2—4.

[3]) videas Lebellum et Hœlscherum, de vita et scriptis Lysiae or. p. 47 f.

[4]) tom. V or. ed. p. 64 Lips. 1772.

[5]) Adversaria p. 14.

Ac si causas perlustramus, nulla saepius obtenditur quam quae ex sermone a reliquis orationibus diversa repetitur.

1. Optime Valkenaerius [1]), cuius argumenta posteriores firmaverunt non auxerunt, ita comprehendit: „Nil in illa Lysiacum. In multis sensus est impeditior; nuspiam apparet Lysiaca facilitas. Multas adhibet locutiones ab usu Lysiac alienas. Multas imperite frequentat, sophisticis ornamentis plenus est, praesertim puerilibus exclamationibus et antithetis partim ninnis partim ineptis. Easdem sententias passim repetit interdum iisdem fere verbis. Τοὺς Κορινθίων βοηθούς laudaturus in fine dumtaxat orationis breviter attingit; totus est in locis communibus et in veterum Atheniensium gestis. In brevi fragmento Hyperidis apud Stobaeum plura ad rem dicta sunt quam in tota hac oratione".

Eadem vituperat Sluiterus [2]) et Hoelscherus [3]); „Legas", inquit, „quaeso, lector benevole, epitaphium Thucydideum vel Isocratis panegyricum, ubi tales inanium verborum turbas, ne imperito quidem oratore dignas reperies"? Abhorrere a reliquis orationibus sententias bipartitas particulis μὲν — δὲ [4]), antitheses, tautologias [5]), turgidam orationem. Neque aliis causis ac Dobrei Valkenaeriique nititur Eckertus [6]) qui demonstraturum se esse profitetur orationem et dispositione et inventione et elocutione Lysia plane indignam esse. Ceterum priorum iudicium locis ex epitaphio depromptis illustrare satis habet.

Blassius denique epitaphii auctorem Lysiam esse negat, cum reliquis prudentior non orationes iudiciales, sed brevem Olympiacum adhibeat, quia in epitaphio nusquam genuinus ille Lysias, qualis etiam in Olympiaco cognoscatur, sed sophista turgidus et vaniloquus et qui orationem figuras Gorgianas male imitatus ex Isocrate aliisque consuat, inveniatur [7]).

[1]) Apud Dobr. adv. p. 8.
[2]) lect. Adoc. p. 281.
[3]) l. c. p. 49.
[4]) Hölscher p. 49.
[5]) p. 50.
[6]) De epitaphio Lysiae oratori falso tributo Berol. diss. 1866.
[7]) Att. Bereds. I² p. 444.

2. Alteram causam, cur epitaphius Lysiae non sit, Ekkertus Valkenaerium, Dobreum, Hoelscherum secutus inde repetit, quod orationis auctor paene hospes sit in istorum temporum historia[1]), velut ἔστειλε πεντήκοντα μυριάδας non ad Xerxem referat, sed ad Darium[2]), falso Peloponnesios ante pugnam Plataeensem murum in Isthmo aedificavisse dicat, qui ipse Thrasybuli reditum bellumque Corinthiacum viderit, aliter illa facta narrare debeat, alia.

3. Tertium accedit, quod parum certo dici potest, quo anno oratio habita sit. Itaque Schoenbornius[3]) annum 387, Kruegerus[4]) 393 postulaverunt. Recte autem Eckertus demonstrat in nullum totius belli annum epitaphium quadrare.

4. Quartam causam protulit idem ille Valkenaerius[5]): „Quis recitavisset? Non Lysias!“ Admonet Dobreus de Thuc. II 34, Platonis Menexeno 234 B, Demosthene (de corona p. 320 R), quibus locis cives tantum clarissimos illius honoris participes fuisse appareat.[6]) Lysiam vero ne id quidem assecutum esse, ut civitate donaretur. Eum autem pro alio cive orationem composuisse ideo verisimile non esse, quod haud dubie Athenienses eum, cui alterius auxilio opus esset, non creavissent oratorem.[7])

5. Restat illud gravissimum: „In Isocratis panegyrico plurima sunt prorsus similia.“ „Probabilius Isocrati furatum esse sophistam, quam Lysiae Isocratem, imprimis cum hic profiteatur se diversa traditurum a prioribus, neque eius sit mos alios describere“.[8]) Nullis causis prolatis iam Reiskius[9]) simile statuerat: „Haec ῥητορεία, inquit, scholae Isocrateae pyxides redolens etc.“ Complures tamen Dobreus attulit:

---

[1]) adversaria p. 18.
[2]) epit. 21.
[3]) Progr. Guben 1833.
[4]) Hist.-phil. Stud. p. 233.
[5]) apud. Dobr. adv. p. 9.
[6]) cf. Meier ind. lect. Hall. 1837.
[7]) cf. tamen Lebellum p. 36.
[8]) Apud Dobr. adv. p. 9.
[9]) edit. tom. V. p. 64 annot. 29.

a) „Malim de sophista quidvis credere quam Isocrati tantam affingere non dico impudentiam, sed dementiam, ut cum tam sedulo inculcaret se nova omnia dicturum eadem opera celeberrimi scriptoris vixdum editum depeculareturˮ

b) Alia Hoelscherus[1]) addidit: „Si fabulas mythicas respicimus, ab Isocrate breviore et accuratiore narratione tractatas eas esse videmus, ut auctor epitaphii ex Isocratis schola prodisse simulque philosophicos mores ostentare mihi videatur". Cuius rei exempla apud Hoelscherum videas.

„Isocratis autem eum discipulum vel imitatorem fuisse apparet cum ex studio antithesium, quas ipsas rudius adhibuit et ex imitatione in historia tractanda, ubi latior est Isocrate, tum ex nonnullis locis, quibus eloquentiam simili fere modo, quo Isocrates laudat.ˮ

c) „Apud Isocratem omnia ex argumento ipso efflorescunt, bene cohaerent, proposito inserviunt, iustis denique finibus coercentur; apud nostrum inania, nimia, odiosa omnia, verba verbis continuata, figura figuris, non sine quadam specie atque pompa, sed nullo consilio, nulla arte, nulla vi, nullo sensu. Illic summum oratorem videas, hic nugacem compilatorem.[2])

Cuius rei exemplum affert, quod Lysias Isocratem secutus inepte barbarorum post pugnam Cnidiam expeditionem factam queritur, cum Persae tum maxime Athenienses omnibus rebus adiuverint.

Hac fere gravissimae causae adhuc prolatae sunt, multis sane exemplis illustratae, quibus nisi viri docti epitaphium a Lysiae nomine seiunxerunt. Nam veterum testimonia parvi faciunt praeter Aristotelem neminem ante quartum p. Chr. n. saeculum epitaphium citare dicentes. Quorum ex testimoniis nihil colligi posse nisi iam tum orationem scriptam Lysiaeque tributam fuisse.

Ac ne Aristotelis quidem locum multum valere existimant, cum Lysiam omnino non nominet, et sententia satis vehementer a Lysia abhorreat. Neque enim Lysiam de pugna Sala-

[1]) l. c. p. 52.

[2]) advers. 12.

QUAE RATIO INTERCEDAT INTER LYSIAE EPITAPHIUM ET ISOCRATIS PANEGYRICUM.

SCRIPSIT

DR. PHIL. EUGEN WOLFF, 1867–

BEROLINI.
APUD MAYERUM ET MUELLERUM.
1896.

more suo memoriter citavisset. Nunc autem id statuere vetamur eo, quod sententiae illi etiam aliis locis occurrimus velut apud Lycurgum Leocr. 50: μόνοι γὰρ τῶν ἁπάντων τὴν τῆς Ἑλλάδος ἐλευθερίαν ἐν τοῖς ἑαυτῶν σώμασιν εἶχον· ἅμα γὰρ οὗτοί τε τὸν βίον μετήλλαξαν καὶ τὰ τῆς Ἑλλάδος εἰς δουλείαν μετέπεσεν· συνετάφη γὰρ τοῖς τούτων σώμασιν ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερία. Demosth. epit. 24: . . . ἡ τῶνδε τῶν ἀνδρῶν ἀρετὴ τῆς Ἑλλάδος ἦν ψυχὴ τἀληθὲς εἰπεῖν· ἅμα γὰρ τά τε τούτων πνεύματα ἀπηλλάγη τῶν οἰκείων σωμάτων καὶ τὸ τῆς Ἑλλάδος ἀξίωμα ἀνῄρηται.

Huc accedit, quod Dobreo concedere debemus illud ἐπὶ τῷ τάφῳ . τῷ τῶν ἐν Σαλαμῖνι τελευτησάντων nullo modo memoriae lapsu ortum esse. Nam ut Aristotelem fefellerit Lysiam de caesis in Hellesponto loqui, quomodo pugnam Salaminiam cum libertate sepulta coniungere potuit? Equidem Aristotelem optime quid scriberet deliberavisse credo. Itaque locum corruptum esse Dobreus et Sauppius monent. Atque illud ἐν Λαμίᾳ iam a Lebello repudiatum[1]) maxime propterea non placet, quod vehementer dubito an non potuerit Aristoteles eam pugnam commemorare. Nam etsi sunt, qui tertium librum rhetoricae spurium iudicent, tamen a multis defenditur, neque infirmam coniecturam infirmo fundamento niti oportet.

Sed ne grammaticum quidem Byzantinum tam ineptum fuisse puto, ut ἐλευθερίᾳ et ἀρετῇ adductus illud τῷ ἐν Σαλαμῖνι ratione sententiae non habita adderet. Licet sint stultissimi et nescii, pugnam Salaminiam libertatis non funus sed originem fuisse certe sciebant.

Clarissimis ex sententiis illius aetatis una fuisse videtur, quae velut illud ζεύξας μὲν τὸν Ἑλλήσποντον, διορύξας δὲ τὸν Ἄθω vel *ver ex anno demptum* iterum atque iterum repetebantur. Ac si usquam caute de talibus locis iudicandum est, in epitaphiis summa prudentia opus est. Etenim cum recentiores id maxime caveant, ne quid simile cum prioribus habeant novumque suae artis fundamentum iacere studeant, veteres quae bene a prioribus facta aut dicta erant, palam usurpare non

[1]) Jahnii annal. 1866 tom. 93.

Pars I.

Quibus causis viri docti adhuc usi sint, ut epitaphium Lysiae spurium demonstrarent.

Quamquam permulti iam viri docti de Lysiae epitaphio disseruerunt, tamen denuo me rem tractare neminem pigeat. Neque enim illi rem ita confecisse mihi videntur, ut omnis dubitatio tolleretur. Nam alii epitaphium etiamsi a Lysia abiudicant, tamen huius oratoris fere tempore scriptum putant[1]); alii Charisii aequalem supposuisse sibi persuaserunt[2]). Nec desunt, qui non satis accurate demonstratum esse existiment Lysiam illum componere non potuisse[3]). Itaque rem retractandam mihi proposui. Ac primum quidem, quo melius omnes causae statum cognoscant, quae in utramque partem disputata sunt, brevissime exponere mihi in animo est. Qua in re ab antiquis proficisci aequum est.

1. Quid veteres de epitaphio iudicaverint.

Per totam antiquitatem epitaphium Lysiae tributum esse satis constat. Nusquam enim apud grammaticos, etsi non raro eius mentio fit, illud εἰ γνήσιος occurrit. Neque Dionysius Halicarnassensis eum reiecit, qui πολλοὺς ἤδη τῶν ἀναφερομένων εἰς αὐτὸν λόγων καὶ πεπιστευμένων ὑπὸ τοῦ πλήθους, ὡς εἰσιν ἐν τοῖς πάνυ γνησίοις τοῦ Λυσίου ... ὑποπτεύσας τε καὶ βασανίσας[4]) de epitaphio nil dubitat.

[1]) cf. Blassii Att. Bereds. I² 472.

[2]) Wilamowitzius apud Dielsium, Abhdl. d. Berl. Akad. 1886 p. 35.

[3]) Dielsius l. c.; Wendlandus Hermes XXV p. 181 ff.

[4]) de Lys. iud. c. 12 p. 477 R.

Item, quicumque artem rhetoricam composuit sub Dionysii nomine traditam, Lysiam epitaphii auctorem appellat[1]) neque habemus, cur illum, qui ad nos venit, non intellegamus. Nonnullos epitaphii locos Lysia scriptore nominato Harpocratio, Philemo, scholiasta ad Aeschinis in Ctesiphontem orationem, Tzetzes, alii afferunt, quos apud Lebellum evolvas[2]). Vel complurium epitaphiorum Lysiae testes sunt scholiasta ad Aristidis Panath., Theo, Photius, Hermogenes, Suidas, Eudocia[3]).

Maximi vero Aristotelis testimonium esse oportet, qui rhet. III 10,7 epitaphii paragraphum sexagesimam citare videtur, de quo infra disputabo.

2. Quid recentiores iudicaverint.

Sed veterum iudicio recentiores retineri non potuerunt, quin epitaphium spurium censerent. E quibus primus ita iudicavit Reiskius[4]), quem multi secuti sunt velut Valkenaerius, Fr. A. Wolfius, Sluiterus, Dobreus, Sauppius, Hoelscherus, Eckertus, Wilamowitzius, multi alii.

Neque vero defuerunt, qui Lysiam auctorem defenderent velut Taylor, Marklandus, K. O. Muellerus, K. Fr. Hermannus, Westermannus, Kruegerus, alii. Videamus nunc, quid viri docti habuerint, cur epitaphium a Lysia abiudicarent. Nam recte Dobreus monet[5]) minime nos antiquitatis praeiudicio deterreri debere, quominus nostris oculis utamur, cum constet Dionysium nonnumquam erravisse velut de oratione περὶ Ἀλοννήσου habita vel de epistula ad Philippum scripta. Id tamen retineamus orationem genuinam habendam esse, nisi gravissimae causae, quibus contrarium demonstretur, proferantur.

---

[1]) C. 1 p. 259 Reiske.

[2]) Lebeau „der Epitaphius des L. als echt erwiesen." Stuttg. 1863, p. 2—4.

[3]) videas Lebellum et Hœlscherum, de vita et scriptis Lysiae or. p. 47 f.

[4]) tom. V or. ed. p. 64 Lips. 1772.

[5]) Adversaria p. 14.

Ac si causas perlustramus, nulla saepius obtenditur quam quae ex sermone a reliquis orationibus diversa repetitur.

1. Optime Valkenaerius[1]), cuius argumenta posteriores firmaverunt non auxerunt, ita comprehendit: „Nil in illa Lysiacum. In multis sensus est impeditior; nuspiam apparet Lysiaca facilitas. Multas adhibet locutiones ab usu Lysiae alienas. Multas imperite frequentat, sophisticis ornamentis plenus est, praesertim puerilibus exclamationibus et antithetis partim nimiis partim ineptis. Easdem sententias passim repetit interdum iisdem fere verbis. Τοὺς Κορινθίων βοηθούς laudaturus in fine dumtaxat orationis breviter attingit; totus est in locis communibus et in veterum Atheniensium gestis. In brevi fragmento Hyperidis apud Stobaeum plura ad rem dicta sunt quam in tota hac oratione".

Eadem vituperat Sluiterus[2]) et Hoelscherus[3]); „Legas", inquit, „quaeso, lector benevole, epitaphium Thucydideum vel Isocratis panegyricum, ubi tales inanium verborum turbas, ne imperito quidem oratore dignas reperies"? Abhorrere a reliquis orationibus sententias bipartitas particulis μὲν — δὲ[4]), antitheses, tautologias[5]), turgidam orationem. Neque aliis causis ac Dobrei Valkenaeriique nititur Eckertus[6]) qui demonstraturum se esse profitetur orationem et dispositione et inventione et elocutione Lysia plane indignam esse. Ceterum priorum iudicium locis ex epitaphio depromptis illustrare satis habet.

Blassius denique epitaphii auctorem Lysiam esse negat, cum reliquis prudentior non orationes iudiciales, sed brevem Olympiacum adhibeat, quia in epitaphio nusquam genuinus ille Lysias, qualis etiam in Olympiaco cognoscatur, sed sophista turgidus et vaniloquus et qui orationem figuras Gorgianas male imitatus ex Isocrate aliisque consuat, inveniatur[7]).

[1]) Apud Dobr. adv. p. 8.
[2]) lect. Adoc. p. 281.
[3]) l. c. p. 49.
[4]) Hölscher p. 49.
[5]) p. 50.
[6]) De epitaphio Lysiae oratori falso tributo Berol. diss. 1866.
[7]) Att. Bereds. I² p. 444.

2. Alteram causam, cur epitaphius Lysiae non sit, Ekkertus Valkenaerium, Dobreum, Hoelscherum secutus inde repetit, quod orationis auctor paene hospes sit in istorum temporum historia[1]), velut ἔστειλε πεντήκοντα μυριάδας non ad Xerxem referat, sed ad Darium[2]), falso Peloponnesios ante pugnam Plataeensem murum in Isthmo aedificavisse dicat, qui ipse Thrasybuli reditum bellumque Corinthiacum viderit, aliter illa facta narrare debeat, alia.

3. Tertium accedit, quod parum certo dici potest, quo anno oratio habita sit. Itaque Schoenbornius[3]) annum 387, Kruegerus[4]) 393 postulaverunt. Recte autem Eckertus demonstrat in nullum totius belli annum epitaphium quadrare.

4. Quartam causam protulit idem ille Valkenaerius[5]): „Quis recitavisset? Non Lysias!“ Admonet Dobreus de Thuc. II 34, Platonis Menexeno 234 B, Demosthene (de corona p. 320 R), quibus locis cives tantum clarissimos illius honoris participes fuisse appareat.[6]) Lysiam vero ne id quidem assecutum esse, ut civitate donaretur. Eum autem pro alio cive orationem composuisse ideo verisimile non esse, quod haud dubie Athenienses eum, cui alterius auxilio opus esset, non creavissent oratorem.[7])

5. Restat illud gravissimum: „In Isocratis panegyrico plurima sunt prorsus similia.“ „Probabilius Isocrati furatum esse sophistam, quam Lysiae Isocratem, imprimis cum hic profiteatur se diversa traditurum a prioribus, neque eius sit mos alios describere“.[8]) Nullis causis prolatis iam Reiskius[9]) simile statuerat: „Haec ῥητορεία, inquit, scholae Isocrateae pyxides redolens etc.“ Complures tamen Dobreus attulit:

---

[1]) adversaria p. 18.
[2]) epit. 21.
[3]) Progr. Guben 1833.
[4]) Hist.-phil. Stud. p. 233.
[5]) apud. Dobr. adv. p. 9.
[6]) cf. Meier ind. lect. Hall. 1837.
[7]) cf. tamen Lebellum p. 36.
[8]) Apud Dobr. adv. p. 9.
[9]) edit. tom. V. p. 64 annot. 29.

a) „Malim de sophista quidvis credere quam Isocrati tantam affingere non dico impudentiam, sed dementiam, ut cum tam sedulo inculcaret se nova omnia dicturum eadem opera celeberrimi scriptoris vixdum editum depecularetur.“

b) Alia Hoelscherus[1]) addidit: „Si fabulas mythicas respicimus, ab Isocrate breviore et accuratiore narratione tractatas eas esse videmus, ut auctor epitaphii ex Isocratis schola prodisse simulque philosophicos mores ostentare mihi videatur“. Cuius rei exempla apud Hoelscherum videas.

„Isocratis autem eum discipulum vel imitatorem fuisse apparet cum ex studio antithesium, quas ipsas rudius adhibuit et ex imitatione in historia tractanda, ubi latior est Isocrate, tum ex nonnullis locis, quibus eloquentiam simili fere modo, quo Isocrates laudat.“

c) „Apud Isocratem omnia ex argumento ipso efflorescunt, bene cohaerent, proposito inserviunt, iustis denique finibus coercentur; apud nostrum inania, nimia, odiosa omnia, verba verbis continuata, figura figuris, non sine quadam specie atque pompa, sed nullo consilio, nulla arte, nulla vi, nullo sensu. Illic summum oratorem videas, hic nugacem compilatorem.[2])

Cuius rei exemplum affert, quod Lysias Isocratem secutus inepte barbarorum post pugnam Cnidiam expeditionem factam queritur, cum Persae tum maxime Athenienses omnibus rebus adiuverint.

Hae fere gravissimae causae adhuc prolatae sunt, multis sane exemplis illustratae, quibus nisi viri docti epitaphium a Lysiae nomine seiunxerunt. Nam veterum testimonia parvi faciunt praeter Aristotelem neminem ante quartum p. Chr. n. saeculum epitaphium citare dicentes. Quorum ex testimoniis nihil colligi posse nisi iam tum orationem scriptam Lysiaeque tributam fuisse.

Ac ne Aristotelis quidem locum multum valere existimant, cum Lysiam omnino non nominet, et sententia satis vehementer a Lysia abhorreat. Neque enim Lysiam de pugna Sala-

[1]) l. c. p. 52.
[2]) advers. 12.

minia sed de Hellespontiaca loqui, neque Aristotelem nomine non addito auditores de oratione multis annis ante habita paucis verbis admonere potuisse. Itaque Dobreus locum corruptum esse putat[1]) ita ratiocinatus: „Sepultam esse libertatem Graeciae una cum illis, qui Salamine ceciderunt? Sepultam autem — quae tum demum visa est vivere? Hoc tam omni sensu vacuum neque oratori neque sophistae ulli crediderim placuisse, nedum ab Aristotele sine reprehensione citari potuisse.“ Quem secutus Sauppius ἐν Λαμίᾳ pro ἐν Σαλαμῖνι legendum proposuit[2]) Aristotelemque nescio quem nuperrime habitum epitaphium citare putat. Alii vero totum tertium artis rhetoricae librum spurium esse maluerunt nimio Aristotelis testimonii studio delendi adducti.

3. Quae contra illa argumenta dici possint.

Atque ut de veterum testimoniis primum loquar, concedi necesse est, nusquam neque Dionysium Halicarnassensem Caeciliumve Calacteum, quibus orationum Lysiacarum delectum nos debere Plutarchus testatur, neque Paulum Germensem, quem Lysiae operam dedisse Photius et Suidas affirmant, nominatim epitaphium citare. Tamen eos, qui ex silentio illorum virorum concludendum esse censent nondum exstitisse orationem, valde errare puto. Quia enim ipsi sibi persuaserunt fieri non potuisse, ut Lysias talem orationem componeret, etiam priores, si orationem iam cognovissent, de Lysia epidictico oratore dicere potuisse negant: Λυσίας ἐν ἁπάσαις ἰδέαις τῶν λόγων εὐδοκιμῶν.[3]) Necesse fuisse eis videtur Dionysium nonnullis verbis additis illam laudem ab epitaphio prohibere.

Alios vero, qui orationi illi minus infesti sunt, ex ipsa ea re, quod nusquam vituperatur, eam a Dionysio reliquisque Lysia non indignam habitam esse iudicavisse infra videbimus. Nam cognovisse Dionysium epitaphium a Lysia scriptum ipse

[1]) adv. 13.
[2]) Gött. gel. Anz. 1864.
[3]) Dion. de Lys. 1.

dicit[1]): παραδείγματα αὐτῶν (τῶν ἐπιταφίων) ἐστί που καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, τοῦ μὲν κοινοῦ καὶ πολιτικοῦ παρά γε τῷ τοῦ Ὁλόρου καὶ παρὰ τῷ τοῦ Ἀρίστωνος. Λυσίας τε καὶ Ὑπερείδης καὶ ὁ Παιανιεὺς καὶ ὁ τοῦ Σωκράτους ἑταῖρος Ναυκράτης πολλὰς ἡμῖν τοιαύτας ἰδέας παρέσχοντο. Hoc loco qui commemorantur epitaphii praeter Naucratis illum omnes servati sunt, neque habemus, cur statuamus Dionysium aliam orationem illo loco atque hunc epitaphium, qui sub Lysiae nomine ad nos pervenit, significasse. Nam tenendum est scripsisse Lysiam epitaphios (cf p. 2 et p. 14), qui Theonis temporibus exstabant[2]). Itaque ex eo ipso, quod Dionysium orationem funebrem nusquam reprehendit, cum identidem illud orationum genus commemoret, eum hunc epitaphium et cognovisse et comprobasse colligemus.

Harpocrationem vero ex Alexandrinorum libris hausisse constat. Si igitur sine ulla dubitatione orationem Lysiae adiudicat, nisi gravissimis causis moti non dissentiemus.

Sed iam accedamus ad Aristotelis locum Rhet III 10,7. καὶ οἷον ἐν τῷ ἐπιταφίῳ· διότι ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷ τάφῳ τῷ τῶν ἐν Σαλαμῖνι τελευτησάντων κείρασθαι τὴν Ἑλλάδα ὡς συγκαταθαπτομένης τῇ ἀρετῇ αὐτῶν τῆς ἐλευθερίας et deliberemus, num his verbis Lysiae epitaphii § 60 citari potuerit: ὥςτ' ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ τότε κείρασθαι τῇ Ἑλλάδι καὶ πενθῆσαι τοὺς ἐνθάδε κειμένους ὡς συγκαταθαπτομένης τῆς αὐτῶν ἐλευθερίας τῇ τούτων ἀρετῇ.

Aristotelem Lysia non nominato tamen de eius oratione iam pridem habita admonere potuisse Dielsius nos docuit. Habuisse enim videtur Aristoteles certum orationum numerum, unde exempla petebat, ut auditoribus, ubi leviter locum significabat, statim obversaretur. Itaque neque auctorem appellare neque accurate ad verbum eum citare oportebat, cum omnes quem diceret facile intellegerent. Itaque nisi de epitaphii loco ageretur, equidem non dubitarem, quin Aristoteles ex

[1]) ars rhet VI. p. 259 R.

[2]) cf. Theonis prog. p. 68 Speng: ἔχομεν .... Λυσίου τοὺς ἐπιταφίους itemque p. 63 Sp. εὕροις δ' ἂν καὶ παρὰ Ἰσοκράτει ἐν τῷ πανηγυρικῷ τὰ ἐν τῷ Λυσίου ἐπιταφίῳ καὶ τῷ Ὀλυμπικῷ.

more suo memoriter citavisset. Nunc autem id statuere vetamur eo, quod sententiae illi etiam aliis locis occurrimus velut apud Lycurgum Leocr. 50: μόνοί γὰρ τῶν ἁπάντων τὴν τῆς Ἑλλάδος ἐλευθερίαν ἐν τοῖς ἑαυτῶν σώμασιν εἶχον· ἅμα γὰρ οὗτοί τε τὸν βίον μετήλλαξαν καὶ τὰ τῆς Ἑλλάδος εἰς δουλείαν μετέπεσεν· συνετάφη γὰρ τοῖς τούτων σώμασιν ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερία. Demosth. epit. 24: . . . ἡ τῶνδε τῶν ἀνδρῶν ἀρετὴ τῆς Ἑλλάδος ἦν ψυχὴ τἀληθὲς εἰπεῖν· ἅμα γὰρ τά τε τούτων πνεύματα ἀπηλλάγη τῶν οἰκείων σωμάτων καὶ τὸ τῆς Ἑλλάδος ἀξίωμα ἀνῄρηται.

Huc accedit, quod Dobreo concedere debemus illud ἐπὶ τῷ τάφῳ τῷ τῶν ἐν Σαλαμῖνι τελευτησάντων nullo modo memoriae lapsu ortum esse. Nam ut Aristotelem fefellerit Lysiam de caesis in Hellesponto loqui, quomodo pugnam Salaminiam cum libertate sepulta coniungere potuit? Equidem Aristotelem optime quid scriberet deliberavisse credo. Itaque locum corruptum esse Dobreus et Sauppius monent. Atque illud ἐν Λαμίᾳ iam a Lebello repudiatum[1]) maxime propterea non placet, quod vehementer dubito an non potuerit Aristoteles eam pugnam commemorare. Nam etsi sunt, qui tertium librum rhetoricae spurium iudicent, tamen a multis defenditur, neque infirmam coniecturam infirmo fundamento niti oportet.

Sed ne grammaticum quidem Byzantinum tam ineptum fuisse puto, ut ἐλευθερίᾳ et ἀρετῇ adductus illud τῷ ἐν Σαλαμῖνι ratione sententiae non habita adderet. Licet sint stultissimi et nescii, pugnam Salaminiam libertatis non funus sed originem fuisse certe sciebant.

Clarissimis ex sententiis illius aetatis una fuisse videtur, quae velut illud ζεύξας μὲν τὸν Ἑλλήσποντον, διορύξας δὲ τὸν Ἄθω vel *ver ex anno demptum* iterum atque iterum repetebantur. Ac si usquam caute de talibus locis iudicandum est, in epitaphiis summa prudentia opus est. Etenim cum recentiores id maxime caveant, ne quid simile cum prioribus habeant novumque suae artis fundamentum iacere studeant, veteres quae bene a prioribus facta aut dicta erant, palam usurpare non

[1]) Jahnii annal. 1866 tom. 93.

dubitabant. Maxime vero in funebribus orationibus fieri non potuit, quin eaedem fere sententiae iterum iterumque proferrentur. Itaque ubi quid novi inventum erat, posteriores gratissime libentissimeque arripiebant. Quapropter enuntiationis diversitate adductus Wilamowitzio assentior rato Aristotelem Gorgiam totius generis illius auctorem citavisse, etsi Gorgiae verborum explicationem non probo. Licet sit ἐλεύθερος „qui patriam defendit, qui patriae honorem atque libertatem sanguine suo redimit," tamen hoc loco, si Lycurgum, Demosthenem, Lysiam respicimus, ἐλευθερία illam notam vim habere videtur. Quomodo autem scriptor cum caesis apud Salamina libertatem sepultam esse dicere potuerit, explicari non potest, quia sententiarum contextum non habemus. Ipso tamen paradoxo sophista vel rhetore illo dignissimo sana esse verba iudicare mihi videtur.[1])

Aristoteles igitur locum non ex epitaphio Lysiae depromptum esse mihi persuasi. Quae tamen opinio nihil valet ad originem epitaphii. Nam Lysiae eum esse ne tum quidem constaret, si Aristotelem inde citasse putaremus. Semper causae a diversitate sermonis repetitae reliquaeque manerent.

Hae igitur iam examinandae sunt, ut rem diiudicemus.

Atque ut de prima illa causa ab oratione repetita disseram, perbene quanti momenti sit intellego, quamvis lubricum et fallax saepe sit argumentum. Nam qui solo eo insistunt, eos fugit scriptorem aut consulto aut exemplo aliquo seductum vel in eodem litterarum genere diversum stilum adhibere posse. Velut Aristoteles in nonnullis libris acroamaticis non modo a dialogorum sermone, set etiam ab aliis eiusdem generis scriptis abhorret. Admoneo de Alcidamantis oratione περὶ τῶν τοὺς γραπτοὺς λόγους γραφόντων, quam temere ab oratore seiunxerunt, quia Alcidamantis propria apud Aristotelem descripta parum deprehenderentur. At neglexerunt diversum orationis genus. Quae enim exempla Aristoteles vituperat, ex genere demonstrativo sumpta, illa

[1]) Conferas, quae Dielsius de ea re disputat; Abhdl. d. Berl. Ak. 1886 p. 35.

vero oratio contra epidicticos oratores eorumque rationem scripta erat[1]). „At ostentationes ab aliis veterum scriptis longe distabant, ut vix eandem agnoveris manum."

Quae vero Alcidamanti acciderunt, eadem fere Lysias perpessus est. Etenim modulo ex orationibus forensibus repetito epidicticas metiri conati credere non possunt Lysiam, clarissimum illum oratorem, talem orationem composuisse. Tantum abest, ut Lysiam epidicticum iudicialibus orationibus neglectis examinent, ut easdem in omni genere ei dicendi rationes adhibendas esse putent. Videas, quae Dobreus dicit[2]): „Sunt quidem eius orationes iudiciales omnes neque pro certo definiri potest, qualis fuerit in genere epidictico, cum penuria speciminum laboremus . . . Videtur tamen defectu potius quam excessu peccaturus. Sed fuerit quantumvis plenus atque diffluens, nugax, salebrosus, indigestus esse numquam potuit".

Cur non potuit? quid enim scimus de Lysia oratore demonstrativo? Quid habemus praeter epitaphium nisi brevissimum Eroticum et Olympiacum? Nempe obliviscuntur panegyrici paragraphum 11: καίτοι τινὲς ἐπιτιμῶσι τῶν λόγων τοῖς ὑπὲρ τοὺς ἰδιώτας ἔχουσι καὶ λίαν ἀπηκριβωμένοις, καὶ τοσοῦτον διημαρτήκασιν, ὥστε τοὺς πρὸς ὑπερβολὴν πεποιημένους πρὸς τοὺς ἀγῶνας τοὺς περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων σκοποῦσιν, ὥσπερ ὁμοίως δέον ἀμφοτέρους ἔχειν, ἀλλ' οὐ τοὺς μὲν ἀφελῶς, τοὺς δ' ἐπιδεικτικῶς, et Aristotelis rhet. III 12: δεῖ δὲ μὴ λεληθέναι, ὅτι ἄλλη ἑκάστῳ γένει ἁρμόττει λέξις. Quam longe vero ab alius generis sermone scriptori discedere liceat praescribi non potest. Itaque ne res arbitrio, sed arbitrium rebus aptare studeamus neque opinione temere capta corrupti examinemus, num oratio genuina sit et inde de Lysia epidictico oratore iudicemus.

Praeterea multos viros, quid oratorem magnum deceat non nescios, velut Dionysium, quem Dobreus ipse summum criticum appellat, non offensos esse epitaphio videmus. Immo

[1]) cf. Vahlen, Ber. d. Wien. Ak. 1863. p. 519; Spengel, synag. tech. p. 179.

[2]) advers p. 15.

laudat oratorem, quod in genere iudiciali alium stilum adhibuerit[1]): τὸν ἀκροατὴν συμμετρεῖται πρὸς τὰ λεγόμενα οἰκείως, οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον δικαστῇ καὶ ἐκκλησιαστικῷ καὶ πανηγυρίζοντι διαλεγόμενος ὄχλῳ, alioque loco[2]) Λυσίας ἐν ἁπάσαις ἰδέαις τῶν λόγων . . . εὐδοκιμῶν, denique[3]): ἐν ἅπασι μὲν τούτοις (τοῖς τρισὶ γένεσι) ἐστὶν ὁ ἀνὴρ λόγου ἄξιος. Iam evolvas Lebelli libellum[4]) legasque, quid senserint recentiores viri doctissimi, tum intelleges illa ratione certum de epitaphii auctore iudicium numquam nos nacturos esse. Multum abest, ut Lebellum sectatus omnia quae in epitaphio sunt laudem, tamen longe gravissimas molestias velut antitheses et exaggerationem non oratori sed generi tribuendas esse Aristoteles[5]) testatur. Quod tamen immodice et moleste illa orationis ornamenta adhibuit, cur a Lysia id alienum putemus, non habemus. Saepissime enim accidit, ut ii, qui in aliqua arte summos artifices se praebuerunt, cum aliam temptaverunt ab ingenio alienam, pessima proferant, ut vix utrumque ab eodem auctore profectum credas. Ac Lysian, iam antiquis temporibus non propter demonstrativas orationes sed forenses clarum fuisse ex Platonis Phaedro colligi potest, ubi eroticus, ut appellatur, Lysiae vehementer reprehenditur propter inventionem[6]) et dispositionem[7]). Quae igitur iam veteres in genuina Lysiae oratione vituperaverunt, ea Eckertus iudicium epitaphii spurii manifestum proponere non debuit. Itaque quoniam genere demonstrativo parum valuit, praeter epitaphium nihil nisi casu apud Dionysium et Platonem nonnulla servata sunt. Quae parum certum fundamentum ideo nobis praebent, primum quod perpauca sunt; deinde vero Girardus[8])

---

[1]) C. 8; p. 470 R.

[2]) De Lys. 1. p. 454 R.

[3]) De Lys. 16. p. 488.

[4]) p. 7 f.

[5]) Rhet. III 9 7 et III 12 40: ἡ μὲν αὔξησις ἐπιτηδειοτάτη τοῖς ἐπιδεικτικοῖς.

[6]) 243 c.

[7]) 264 b χύδην βεβλῆσθαι τὰ τοῦ λόγου.

[8]) Revue archéol. nouv. série tom. 23 p. 378.

recte monet inter epitaphium et Olympiacum quinque circiter annos intercedere, quibus Lysias Isocratem secutus facile illam nimiam abundantiam paulum extenuare potuit. Praeter illas vero sermonis figuras immodice usitatas, partim scriptoris animo a genere epidictico alieno partim eo excusandas, quod iusto plus Gorgiae, omnium epidicticorum magistri, auctoritas apud eum pollebat — nam quo quis est imperitior, eo accuratius exempla clarissima sequi solet — praeter illas ineptias sermonem satis bene Atticum inveniri Dobreus ipse concedit [1]). Contra Hoelscherum autem haec Dobrei verba dicta esse videantur: „Neque usquam animadverti quaesitum illum et importunum Atticismum, istos e Platone, Thucydide, Demosthene decerptos dictionis flosculos, quos ubivis reperias apud sophistas recentiores . . . . In universum spectanti non videtur in sermonis puritatem et verborum delectum admodum peccavisse."

Huc accedit, quod vel Sauppius concedit in epitaphio nonnulla inveniri, quae verum Lysiam redoleant. Quod vero contendit auctorem, ut Isocratem aliosque adhibuerit, ita Lysiam quoque spoliavisse, non recte ratiocinatur. Nam illa similia, nisi aliis gravissimis causis orationem spuriam esse ostendit, eam genuinam esse demonstrare mihi videntur.

Itaque Dionysium mirari iam desinemus, quod talem orationem comprobaverit. Nam abundantiam ceteraque generi facile condonabat ferendaque putabat: „βούλεται μὲν γὰρ ὑψηλότερος εἶναι καὶ μεγαλοπρεπέστερος." [2]) Gorgiae vero orationes quamquam multo plus illarum ineptiarum continebant, tamen antiquis temporibus summus orator ille habebatur; nostra aetate ut Helenam Palamedemque viro indignas orationes putaverunt, ita epitaphium, olympicum, pythicum si servati essent, spurios esse viri docti fortasse censuissent.

Quid ergo dico? Quamvis saepe adversarii posteriores sermonem epitaphii Lysia indignam esse dictitent, ne uno quidem asse plus illam causam valere quam Valkenaerii tem-

[1]) adv. p. 14.

[2]) De Lysia 28 p. 518 R.

poribus. Non igitur refutasse eos dico, quae Lebellus contra disputaverat[1]):

„Da die Epideixis nicht die starke Seite des Lysias war, so mussten seine Festreden schwächer ausfallen. Die teilweise Überfülle und die anscheinenden Tautologien mögen dem oder jenem missfallen, sind aber kein Grund, den Epitaphius für unecht zu erklären."

„Ce que je rencontre surtout", Girardus inquit[2]) „et chez Hoelscher et chez d'autres, c'est, je le répète une impression . . . . Mais je cherche vainement un argument capital et décisif contre l'authenticité."

Vides enim alios epitaphii sermonem cum Lysia consentire, alios dissentire putare.

Quodsi litem diiudicare volumus, gravioribus argumentis opus est. Qua re iam reliqua examinemus.

Multo facilius quam primum argumentum alterum tertium quartum refutari possunt. Quis enim contendere audeat Lysiam erroribus obnoxium non fuisse? Itaque mitto excusationes. Atque qui dicunt eum aliter Thrasybuli reditum bellumque Corinthiacum narraturum fuisse, leviter praescribere audent scriptori, quibus verbis uti debuerit. Ne Plato quidem in Menexeno, quem equidem Platonis esse iudico, sui temporis facta accuratius Lysia descripsit.

Quod autem non certo anno oratio tribui potest, nescio an non possit id vitio dari. Neque enim intellegimus, cur sophista belli Corinthiaci annum nulla re insignem elegerit, cum ei liceret ad orationem demonstrativam multo aptiores annos sumere. Immo id ipsum monet, ut belli Corinthiaci aequalem eum fuisse statuamus, nisi aliis argumentis prohibemur. Fortasse illa temporum parum accurata descriptio inde nata est, quod auctor generale exemplum edere voluit, ut facile maxima orationis pars etiam alia occasione data haberi posset.

---

[1]) p. 27.
[2]) l. c. p. 389.

At dicunt: quis recitavisset? quod nullius momenti est. Etenim etiamsi Lebello non credamus Lysiam peregrinum eligi potuisse, qui epitaphium haberet, tamen illud effugium restat, Gorgiam cum imitatum exercitationis causa vel artis exemplum epitaphium eum composuisse. Nam Lysiam etiam in genere funebri elaboravisse Pseudo-Plutarchus, Photius, Suidas, Theo [1]) certissime affirmant. Inde fortasse ampla illa maiorum laus, quae Eckerto iure displicet, et exigua caesorum memoria explicatur, quippe quae ad belli certi modos formanda esset.

Sed iam accedamus ad gravissimum illud argumentum et maxime idoneum, quo res conficiatur. Etenim si recte Blassius censuit Lysiam Isocratis panegyrici exemplum fuisse, equidem non dubitem epitaphium genuinam Lysiae orationem iudicare. Sin autem contrarium apparcat, epitaphium post annum 380 compositum esse, Lysias orationis auctor non potest esse, omniaque illa, quae supra enumeravi, argumenta, quoad hoc fundamentum afuit, infirma, tum usui erunt ad confirmandas suspiciones. Illa enim quamvis vera non multum valebant, hoc vero litem discerni nemo negabit.

Dolendum autem est viros doctos adhuc huic quaestioni parum operae dedisse. Neque enim satis accurate Dobreus et Hoelscherus opinionem suam confirmare studuerunt affirmantes Lysiam imitatorem esse. Nam cum aliis de causis epitaphium spurium esse sibi persuasissent, leviter hoc argumentum tetigerunt. Qui vero veteres secuti Lysiam auctorem retinebant similiter consentaneum posuerunt Isocratem esse imitatorem.

Itaque quoniam quae adhuc argumenta contra epitaphium prolata sunt, non satis magnam vim habere demonstravi, operae pretium putavi accuratius exponere, quae ratio intercedat inter epitaphium et panegyricum. Neque enim omnes Isocratem impudentiae et furti insimulari non posse crediderunt, velut Dobreus ipse veterum iudicia affert: εὕροις δ'ἂν καὶ παρ' Ἰσοκράτει ἐν τῷ πανηγυρικῷ τὰ ἐν τῷ Λυσίου ἐπι-

1) cf. p. 7.

ταφίῳ καὶ τῷ Ὀλυμπικῷ [1]) vel: δν (τὸν πανηγυρικόν) μετενηνοχέναι ἐκ τοῦ Γοργίου καὶ Λυσίου.[2])

Item ea, quae Hoelscherus in epitaphio vituperat, quod copiosior sit in fabulis et philosophiae umbram redoleat, nihil valent. Nam quod Isocratem philosophum fuisse putat, vehementer errat, quamquam saepissime de philosophia sua loquitur. Si quid igitur apud Lysiam philosophiae umbram redoleat, quod nego, ab Isocrate certe non mutuatus est. Solo vero turgore parum proficimus, cum Isocrates imitator nimiam verborum abundantiam minuere potuerit. Nisi forte ex ipsa sententia demonstrari potest, utrum in locum nexumque initio excogitata sit, difficillimum est ex meliore vel peiore dicendi genere auctorem comprobare. Certe accuratissima quaestione opus est, quam tamen apud Hoelscherum non invenimus. Figuras autem oratorias epitaphii non Isocrati sed Gorgiae deberi notum est.

Longe aliter vero iudico de illo argumento, apud Isocratem omnia ex argumento efflorescere, praesertim cum Dobreus optimum exemplum afferat. Lysiam enim Atheniensem apud illius temporis cives, quin vapularet, in Persas et Cononem invehi non potuisse dicit. Isocratis contra cum proposito optime id convenire.

Sed nisi plura eiusdem generis addas, vereor, ne Lysiae defensoribus non persuadeas, praesertim cum ipsi quoque compluribus locis nitantur, ex quibus contrarium apparere putent.

Itaque eam quaestionem accuratius tractandam mihi proposui.

---

[1]) Theon I 4 prog.

[2]) Plut. vita Isocratis. Phot. cod. 260 Philostr. vit. soph. I 17.

Pars II.

Quae ratio intercedat inter Lysiae epitaphium et Isocratis panegyricum.

Orationes nobis perlustrantibus, quae in honorem pro patria mortuorum Athenis habitae sunt, mirum videtur, quam multis locis consentiant. Quae tamen consensio propter orationum genus non statim ita explicanda est, ut priorem a posteriore compilatum esse statuamus. Etenim cum persaepe eiusmodi orationes haberentur novaeque sententiae perraro adderentur, fieri non potuit, quin omnes fere epitaphii multis locis consentirent. Itaque valde errarct, qui duas tantum orationes inter se compararet ceterarumque ratione non habita diiudicaret, utra ex altera penderet.

Verumtamen de Lysiae epitaphio et Isocratis panegyrico nemo adhuc dubitavit, quin alter alterum exscripserit. Nam neque casu quodam tam saepe eadem verba invenire potuerunt, neque ex communi fonte nescio quo tot locos omnes miro consensu mutuari. Multo igitur verisimilius est alterum virum tam impudenter exscripsisse quam utrumque eidem peccato obnoxium esse. De communi fonte tum cogitabimus, si aut apud ceteros eandem sententiam inveniemus aut ex enuntiationis forma id colligi potest.

Restat igitur, ut Isocrates epitaphium Lysiae aut epitaphii auctor panegyricum adhibuerit; nonnulla praeterea ex communi fonte hausta esse non negem propter orationum genus.

Caput prius.
Isocrates num usus sit epitaphio.

De Blassii et Lebelli argumentis.

Et Blassio et Lebello persuasum est Isocratem esse imitatorem. Nec mirum est Lebellum ita iudicare. Cum enim veteres sectatus Lysiam epitaphii scriptorem esse credat, facere non potest, quin Isocratem furti insimulet. Tamen quoniam nihil omisit, quod ad comprobandam sententiam suam pertinet, paginis 62—68 libelli sui locos utriusque orationis congruentes iuxta posuit brevibusque annotationibus Lysiacam sententiam priorem esse ostendere conatus est. Blassius autem quamquam epitaphium propter genus dicendi Lysiae non esse censet, tribus vel quattuor locis comparatis Lebellum partim sequitur. Proferunt igitur locos, quibus manifesto Isocratem aut vituperare aut aemulari Lysiam existiment. Accedit, quod Lebellus maxime operam dat, ut Lysiam simpliciorem, breviorem, sinceriorem demonstret quam Isocratem, qui saepe depromptam sententiam aut augeat aut causam, cur res ita se habeat, addat.

Audiamus nunc ipsa virorum doctorum argumenta:

1. Legimus apud Lysiam 29: Ἀλλ' ὑπεριδὼν καὶ τὰ φύσει πεφυκότα καὶ τὰ θεῖα πράγματα καὶ τὰς ἀνθρωπίνας διανοίας δδὸν μὲν διὰ τῆς θαλάσσης ἐποιήσατο, πλοῦν δὲ διὰ τῆς γῆς ἠνάγκασε γενέσθαι, ζεύξας μὲν τὸν Ἑλλήσποντον, διορύξας δὲ τὸν Ἄθω.

Paene eadem verba in panegyrico 89 legimus: καὶ συνηνάγκασεν, ὃ πάντες θρυλοῦσιν, ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης.

Atque primum quidem Isocratem ipsum, cum illud ὃ πάντες θρυλοῦσι addat, imitatorem se esse profiteri; deinde autem enuntiati formam apud Isocratem multo elegantiorem adeoque meliorem esse, ut intellegi non possit, cur Lysias, si esset imitatus, formam quoque sententiae usurpare noluerit.

2. Lysiam (epit. 38) pugnam Salaminiam copiose describere, Graecorum et barbarorum paeana, cohortationes, clamores aliosque proelii terrores commemorare. Non fortuito

autem fieri Blassius existimat, ut apud Isocratem (97) ea vituperentur: καὶ τοὺς μὲν θορύβους τοὺς ἐν τῷ πράγματι γενομένους καὶ τὰς κραυγὰς καὶ τὰς παρακελεύσεις, ἃ κοινὰ πάντων ἐστὶ τῶν ναυμαχούντων, οὐκ οἶδ' ὅ,τι δεῖ λέγοντα διατρίβειν.

3. Paragrapho 14 Isocratem aliter rem se tractaturum esse pollicitum ac priores paragrapho 75 eorum virorum laudes proferre, qui aequales virtute erudiverint et ad clarissimas victorias Persarum bello partas aptaverint. Atque apud Lysiam quidem eam partem non inveniri. Tum vero Isocratem postremum se ad rem accessisse ipsum dicere § 74: χαλεπόν ἐστιν ὕστατον ἐπελθόντα λέγειν περὶ πραγμάτων πάλαι προκατειλημμένων. Qui autem se excuset, ipsum se furti accusare. Apud Lysiam nihil tale legi; ergo priorem esse.

4. Isocratem cum dicat § 74: περὶ ὧν οἱ μάλιστα δυνηθέντες τῶν πολιτῶν εἰπεῖν ἐπὶ τοῖς δημοσίᾳ θαπτομένοις πολλάκις εἰρήκασιν, significare Lysiae epitaphium, qui § 2 de ποιεῖν δυναμένοις καὶ τοῖς εἰπεῖν βουληθεῖσιν loquatur.

5. Lysiam initio epitaphii mortuos pro virtute satis praedicari non posse dicere absque auditoribus veniam petere, quod pauci dies a civibus ad meditandam orationem sibi dati sint: εἰ μὲν ἡγούμην οἷόν τε εἶναι . . . λόγῳ δηλῶσαι τὴν τῶν ἐνθάδε κειμένων ἀρετὴν . . . διὰ τοῦτο καὶ ἡ πόλις μοι δοκεῖ . . . ἐξ ὀλίγου τὴν πρόσταξιν ποιεῖσθαι.

Isocratem contra § 13 non solum eas excusationes illudere, sed etiam § 14 omnes priores se superaturum esse promittere: τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους ἐν τοῖς προοιμίοις ὁρῶ καταπραΰνοντας τοὺς ἀκροατὰς καὶ προφασιζομένους ὑπὲρ τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι καὶ λέγοντας τοὺς μὲν ὡς ἐξ ὑπογυίου γέγονεν αὐτοῖς ἡ παρασκευή, τοὺς δ' ὡς χαλεπόν ἐστιν ἴσους τοὺς λόγους τῷ μεγέθει τῶν ἔργων ἐξευρεῖν.

Quae Lebellus praeterea affert, ut Lysiam simpliciorem brevioremque esse demonstret, nullius momenti esse mihi videntur. Itaque exempla apud ipsum evolvas. Illis enim causis, brevitatem et simplicitatem dico, comprobare, utro loco verba initio inventa sint, difficillimum est, nisi ex sententiarum nexu totum enuntiatum pessumdatum esse apud alterum neque in argumentum cadere apparet.

Quare iam primum argumentum ex panegyrici § 89 = epit. 29 repetitum contemplemur. Atque quod uterque vir doctus Isocratis enuntiatum artificiosius esse contendit, parum valere ad diiudicandam litem iam supra dixeram. Ipso vero hoc exemplo optime demonstrari potest peiorem formam sententiae ideo non priorem esse. Nam si quis quaerit, quem ad finem scriptor initio illam sententiam πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης composuerit, statim apparet eum Xerxis superbiam et insolentiam significare voluisse: βουληθεὶς δὲ τοιοῦτον μνημεῖον καταλιπεῖν, ὃ μὴ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεώς ἐστιν (Is. paneg. 89).

Quam causam etsi Lysias ipse quoque affert (ἀλλ' ὑπεριδὼν καὶ τὰ φύσει πεφυκότα καὶ τὰ θεῖα πράγματα καὶ τὰς ἀνθρωπίνας διανοίας), tamen quasi ut demonstret se sententiae inventorem non esse, alteram causam, cur Xerxes Athon promunturium perfoderit, impugnantem priorem addit: § 28: τὸ δὲ μέγιστον σημεῖον τοῦ πλήθους . . . ἡγούμενος τὴν διατριβὴν αὐτῶν πολλὴν ἔσεσθαι. His enim verbis de superbia iam nihil loquitur; immo potius rectissime et prudentissime rex fecit, quod Hellespontum navibus coniunxit.

Utramque igitur sententiam initio nemo excogitare potuit, cum altera alteram tollat. Si vero interrogamus, utra prior sit, dubitari non potest, quin Graeci vulgo Xerxem superbia commotum esse crediderint. Quam opinionem primo secutus se tenere non potuit Lysias, quin Herodoti libro institutus veram causam adderet. Qua priorem sententiam deleri non sensit.

Quare licet Isocrates illum locum, cum ipse affirmet, detorserit, a Lysia certe non mutuatus est. Immo vero fuisse videtur propter illud θρυλοῦσι trita vox, cuius tamen inventor quis fuerit certo effici non potest. Cum autem Isocratem nonnulla Gorgiae debere constet figuraeque Gorgianae illo loco accuratissime servatae sint, Leontinum auctorem fuisse, quod nonnulli coniecerunt, probo.

Illum igitur locum nihil ad rem pertinere demonstrasse mihi videor.

Venimus ad proelii Salaminii descriptionem ab Isocrate vituperatam.

Ac si superiorem locum (n. 1.) e Gorgia sumptum esse suspicabamur, hoc (n. 2.) in eum invehi demonstrare possumus. Etenim casu quodam apud scholiastam ad Hom. Δ 450 haec verba servata sunt: οἰμωγή τε καὶ εὐχωλή] Γοργίας· ἀνεμίσγοντο δὲ λιταῖς ἀπειλαὶ καὶ εὐχαῖς οἰμωγαί. Igitur Gorgias commovere nos conatur, ut Atheniensium et misereamur eosdemque propter virtutem admiremur. Quomodo autem ille diversissimas sententias coniunxerit dici non potest. Lysias certe, qui admirationis et misericordiae affectus Gorgiam manifesto secutus permiscuit, inopportune fecit, quod in Atheniensium laudibus fletum et amentiam civium metu iam paene delirantium describit.

Itaque quoniam Lysiam hoc loco Gorgiam spoliavisse apparet, quis neget, etiam illa, quae de paeane, clamore, navium fragore apud Lysiam legimus, in Gorgiae epitaphio fuisse? Epidicticum oratorem eam occasionem verba faciendi praetermisisse equidem non credo. Itaque si qua vituperatio Isocratis verbis inest, auctorem Gorgiam quam imitatorem Lysiam vituperari verisimilius est. Quod enim Blassius Isocratis verba aptius cadere in Lysiam quam in Gorgiam dicit, Gorgiae verba omnino servata non sunt. Certe plura de proelio Salaminio locutus est quam ἀνεμίσγοντο δὲ λιταῖς ἀπειλαὶ καὶ εὐχαῖς οἰμωγαί. [1])

Itaque si quisquam vituperatur, Gorgiam carpi puto. Tamen non defuerunt, qui Isocratem quemquam illis verbis reprehendere plane negaverint. [2]) Etenim ut est summus orator, fabulas non fabularum causa narrat, sed ut Athenienses principatu dignos esse demonstret. Descriptionem autem proelii, etsi nihil pertinet ad propositum, omittere noluit figuraque praeteritionis commemorat Quod si statuimus, sententia οὐκ οἶδ' ὅ,τι λέγοντα δεῖ διατρίβειν nihil aliud sibi vult nisi superiora cum proximis verbis conectere ἃ δ' ἔστιν ἴδια etc. Quod ut confirmet Eckertus Euagorae § 31 affert, ubi eandem figuram invenimus. Addas paneg. 51 ἵνα δὲ μὴ δοκῶ

[1]) cf. Philostratum: ἐνδιέτριψε δὲ τοῖς τῶν Μηδικῶν τροπαίων ἐπαίνοις.
[2]) Eckertus p. 28

περὶ τὰ μέρη διατρίβειν vel § 66 ἅπαντας μὲν οὖν ἐξαριθμῶν τοὺς κινδύνους λίαν ἂν μακρολογοίην.[1])

Qui vero artius Isocratis et Lysiae locos inter se cohaerere putant, ne hos quidem Lysiam priorem esse statuere necesse est. Nam qui Lysiam, si illam vituperationem apud Isocratem legisset, non tam fatuum futurum fuisse contendunt, ut in pervulgata materia exultaret, nihil dicunt. Etenim in oratione demonstrativa illa descriptio non ita absurda est. Immo Dobreus hoc ipso loco epitaphium post panegyricum scriptum esse demonstrare conatur.[2]) Quae cum ita sint, ne hunc quidem locum quicquam valere videmus.

Idem vero iudicari necesse est de tertio Blassii argumento: Isocratem, cum a prioribus differre studeret, de viris tum rem publicam gerentibus verba fecisse. Quam partem apud Lysiam deesse. Quod argumentum si recte se haberet, panegyricus etiam post Hyperidem et Demosthenem compositus esset, quod ne hi quidem eam rem tractant. Nam ei tum demum vis inesset, si demonstratum esset Lysiam, si adhibuisset, facere non potuisse, quin eam partem una cum priore aut posteriore exscriberet. Quod fieri non potest.

Itaque hoc quoque argumentum nullum est.

Porro cur Is. 74 περὶ ὧν οἱ μάλιστα δυνηθέντες τῶν πολιτῶν εἰπεῖν ἐπὶ τοῖς δημοσίᾳ θαπτομένοις πολλάκις εἰρήκασιν ad Lysiae potissimum epitaphium pertineat, intellegere non possum. Nemo enim orator in laudibus maiorum Persarum bellum silentio praetermittere potuit.[3]) Equidem si de certo epitaphio cogitare cogerer, multo iustius Gorgiam significari crederem, qui copiosissime eam materiam tractavit.

Nam sententiae utriusque formam examinantes facere non possumus, quin Isocrateam priorem, Lysiacam amplificatam

---

[1]) cf. § 32: καὶ μὴν ὅσης προσήκει τιμῆς τυγχάνειν τοὺς τηλικούτων ἀγαθῶν αἰτίους περίεργον διδάσκειν.

[2]) adversaria p. 12.

[3]) cf. Cic. off. I 18: tritum illum de Marathone campum; Arist. rhet. II, 22,6 πῶς ἂν δυναίμεθα ἐπαινεῖν τοὺς Ἀθηναίους, εἰ μὴ ἔχοιμεν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν.

iudicemus.[1]) Etenim ille rectissime ἀνάγκη γὰρ, inquit, τὰ μὲν μέγιστ' αὐτῶν ἤδη κατακεχρῆσθαι, μικρὰ δ'ἔτι παραλελεῖφθαι. Apud Lysiam autem eandem in contrarium detortam videmus: τοσαύτην γὰρ ἀφθονίαν παρεσκεύασεν ἡ τούτων ἀρετὴ . . . , ὥστε καλὰ μὲν πολλὰ τοῖς προτέροις περὶ αὐτῶν εἰρῆσθαι, πολλὰ δὲ καὶ ἐκείνοις παραλελεῖφθαι, ἱκανὰ δὲ καὶ τοῖς ἐπιγιγνομένοις ἐξεῖναι εἰπεῖν. Frustra tamen nova in epitaphio quaeras.

Hanc certe orationem in numero earum, quas Isocrates dicit, fuisse minime ex illius verbis colligi potest.

Quod vero Blassius putat Isocratem, quia se excuset difficile esse nova proferre, concedere furtum, Lysiae probitate nimium confidit. Nam etiamsi multo ante Isocratem fuerit, ne tum quidem facile ei fuit novas sententias fingere. Ipsi quoque eadem excusatione opus fuit. Quam si apud Isocratem invenimus (illud ὃ πάντες θρυλοῦσι ne omittamus, quem locum Lysias ipse quoque mutuatus nihil addidit), concedemus, quod apud Lysiam ea excusatio deest, parum demonstrari eum priorem esse.

Restat, ut de quinto argumento pauca dicam: Isocrates, ait, cum ceteros oratores vituperet ἐν τοῖς προοιμίοις καταπραΰνοντας τοὺς ἀκροατὰς καὶ προφασιζομένους κτλ, et ipse omnes se superaturum esse polliceatur, Lysiam significari, qui id ipsum peccet. In eum igitur maxime panegyricum scriptum esse eiusque epitaphium superare illum voluisse.

Contra haec dici possunt: Primum si Isocrates oratione Lysiam praecipue impugnaverit, ita ut eum solum in prooemio praeter omnes reliquos notaret, sperare licet etiam aliis locis maxime iis, quibus cum adversariis disceptet, id est in panegyrici praefatione 1—19 et extrema oratione 187—189, illum significari.

Ac profecto § 188 litem commemorari, in qua Lysias Isocratis adversarius fuerit eumque vicerit, negari non potest; dico πρὸς Εὐθύνουν ἀμάρτυρον ἢ περὶ παρακαταθήκης. Sed audiamus Isocratis ipsius verba. Adhortatur τοὺς μὲν πράττειν δυναμένους παρακαλοῦντας ἀλλήλους πειρᾶσθαι διαλλάττειν

[1]) cf. Rheuss, Rh. Mus. 38 p. 148.

τήν πε πόλιν τὴν ἡμετέραν καὶ τὴν Λακεδαιμονίων, τοὺς δὲ τῶν λόγων ἀμφισβητοῦντας πρὸς μὲν τὴν παρακαταθήκην καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὧν νῦν φλυαροῦσι παύεσθαι γράφοντας, πρὸς δὲ τοῦτον τὸν λόγον ποιεῖσθαι τὴν ἅμιλλαν καὶ σκοπεῖν, ὅπως ἄμεινον περὶ τῶν αὐτῶν πραγμάτων ἐροῦσιν.

Quae si reputamus, etsi illa lis commemoratur, tamen in Lysiam ipsum ista verba scripta non videntur esse, quippe quem non posset adhortari, ut eandem materiem tractaret propterea, quod, si Blassio credimus, exemplum iam a Lysia editum, i. e. epitaphium, panegyrico aemulatur. Isocrates ergo minime ita loqui potuit. Neque enim ab illo postulavisset, ut se superare conaretur, sed quoniam de vetere controversia admonuit. certe, si Lysiam ipsum carpsisset, panegyricum comparare cum Lysiae demonstrativis orationibus aequales iussisset. Quodsi ad superandam suam orationem provocat, alios adversarios spectare eum necesse est, qui ei materiae nondum operam dederunt, sed adhuc nugas tractandas sibi proposuerunt et orationem, quam multis ante annis de deposito habuit, minutius et scrupulosius libellis editis scrutantur. Atque unus quidem ex illis certo demonstrari potest, dico Antisthenem, qui πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον et περὶ τῶν δικογράφων ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης scripsit.[1])

Alter Alcidamas fuisse videtur, etsi de amartyro eum scripsisse non constat. Tamen illam Isocratis inimici cladem nulla ignominia eum praetermisisse non verisimile est. Optime enim in eum illud φλυαροῦσι cadit, si Menandro credimus[2]): παράδοξα δὲ οἷον Ἀλκιδάμαντος τὸ τοῦ Θανάτου ἐγκώμιον ἢ τὸ τῆς πενίας ἢ τοῦ Πρωτέω τοῦς κυνός. Paragrapho 11 saltem Alcidamantem carpi manifestissimum est: καίτοι τινὲς ἐπιτιμῶσι τῶν λόγων τοῖς ὑπὲρ τοὺς ἰδιώτας ἔχουσι καὶ λίαν ἀπηκριβωμένοις. Id enim ipsum ille § 34 περὶ τῶν τοὺς γραπτοὺς λόγους γραφόντων orationis, quam Isocrate non nominato in illius viri studia scripsit, reprehendit: ὅστις οὖν . . . βούλεται μᾶλλον τοῖς καιροῖς χρῆσθαι καλῶς ἢ τοῖς ὀνόμασι ἀκριβῶς κτλ.

---

[1]) cf. Spengel synag. tech. p. 755 annot. 2 secundum Diog. Laert. VI 15.

[2]) Spengel p. 346.

Utriusque oratoris scholae tum maxime inter se aemulabantur, magistrique non solum totis dissertationibus contendebant, sed etiam obiter singulis sententiis.[1])

Neque magis quam extrema oratio praefatio in Lysiam scripta videtur. Legas, quaeso, § 3: οὐκ ἀγνοῶν, ὅτι πολλοὶ τῶν προσποιησαμένων εἶναι σοφιστῶν ἐπὶ τοῦτον τὸν λόγον ὥρμησαν scilicet περί τε τοῦ τολέμου τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τῆς ὁμονοίας τῆς πρὸς ἡμᾶς αὐτούς. Quo in numero Lysiae epitaphium non esse nemo negabit, quippe qui de bello cum barbaris gerendo et de concordia nihil habeat. Neque § 13 i. e. illo loco, quo Blassius maxime nititur, alios oratores dici, nisi qui panegyrici propositum tractaverunt, intellegi potest ex articulo τοὺς ἄλλους. Etenim his verbis non in universum oratores cuiusvis generis significari possunt, propterea quod antea de iis tantum dictum est, qui eandem causam tractaverunt atque Isocrates.

Ergo Isocratem Lysiae epitaphium aemulatum esse statuere nulla re iubemur, neque propter argumentorum diversitatem verisimile est.

Accedit quod illae excusationes a difficultate operis repetitae tam tritae sunt, ut nemo de Lysia cogitaret nisi gravioribus aliis causis adduceretur.

Nam et Plato Isocratis vituperationem meretur, cum in Menexeno 235 C scribit: ἐξ ὑπογυίου γὰρ παντάπασιν ἡ αἵρεσις γέγονεν, ὥστε ἀναγκασθήσεται ὁ λέγων ὥσπερ αὐτοσχεδιάζειν, et Demosthenes (or. 60 initio) ἐξετάζων δὲ καὶ σκοπῶν ἀξίως εἰπεῖν τῶν τετελευτηκότων ἔτι τῶν ἀδυνάτων εὑρισκον ὄν, neque Hyperides: φοβοῦμαι, μή μοι συμβῇ τὸν λόγον ἐλάττω φαίνεσθαι τῶν ἔργων τῶν γεγενημένων. Etenim sententia illa tam prompta erat in laudationibus et meditanti tam facile se offerebat, ut pauci eam omitterent. Totum igitur genus laudativum Isocrates spectavit et improbavit.

Tamen si quis casu hoc loco orationes consentire non credat, multum abest, ut Marklando assentiri debeat ita ratiocinato: „epitaphii auctor non fuisset ita fatuus, ut, si ista

[1]) cf. Vahlen l. c. p. 505/6.

vidisset ab Isocrate reprehensa, tamen eodem ipso modo ineptire pergeret; ergo antiquior auctor epitaphii.“ Nam cum illa sententia inepta non esset, epitaphii scriptor deterreri non debuit, ne ea uteretur, eo minus, quod Isocrates serio eam sententiam non vituperat, quippe quam ipse adhibuerit, licet τὰ παλαιὰ καινῶς διελθεῖν studuerit. Illa enim verba tantae fiduciae plena ἐγὼ δ'ἦν μὴ καὶ τοῦ πράγματος ἀξίως εἴπω κτλ. pertinent ad paragraphum 187: οὐ τὴν αὐτὴν δὲ τυγχάνω γνώμην ἔχων ἔν τε τῷ παρόντι καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς τοῦ λόγου· τότε μὲν γὰρ ᾤμην ἀξίως δυνήσεσθαι τῶν πραγμάτων εἰπεῖν, νῦν δ'οὐκ ἐφικνοῦμαι τοῦ μεγέθους αὐτῶν, ἀλλὰ πολλά με διαπέφευγεν ὧν διενοήθην. Multo efficacius Isocrates ipsa re auditores docet patrum virtutem maiorem esse, quam ut satis praedicetur.

Quid ergo est? Demonstrasse mihi videor, ne quinto quidem argumento apparere Isocratem esse imitatorem aut panegyrici scriptorem epitaphium aemulatum esse. Nam si cum Lysia in genere demonstrativo contendere voluisset, Olympiacum significare debuit paucis ante annis habitum. Quod cum noluerit equidem inter Lysiam et Isocratem in genere epidictico omnino certamen non fuisse puto. Indoles amborum diversior erat, quam ut aemularentur[1]). Licet igitur alter alterum oderit et contempserit; sed cum Lysias scholas non haberet neque serio Isocratem sicut Alcidamas obscurare posset, non habuerunt oratores, cur litteris inter se pugnarent.

Immo potius Gorgiam superandum Isocrates sibi proposuisse videtur.

Sed iam accedamus ad alteram quaestionis partem et videamus, scriptorne epitaphii panegyricum adhibuerit.

---

[1]) Vel Olympiacus brevissima oratio fuisse videtur Isocratisque panegyricum minime aequavit. cf. Blassii Att. Bereds. I² p. 433.

Caput posterius.

Num Isocratis oratio prior sit quaeritur.

1 De epitaphii et panegyrici argumentis.

Atque quo facilius litem diiudicemus, primum quidem argumentum et dispositionem panegyrici breviter exponam.

De quo Isocrates ipse initio orationis haec dicit: ἥκω συμβουλεύσων περί τε τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τῆς ὁμονοίας τῆς πρὸς ἡμᾶς αὐτούς. Priusquam autem illud argumentum ipsum tractari possit, diiudicari oportere, utri bello gerendo praeesse debeant, Lacedaemonii an Athenienses. Quod cum priores omnes omiserint, parum eos profecisse. Itaque ut dignissimos principatu Athenienses ostendat, a popularibus res praeclare gestas in prima orationis parte percurrit neque umquam ne in fabulis quidem vetustissimis auditores non admonet vel antiquitus illos omnium Graecorum principes fuisse et multis rebus de iis bene meritos esse. Iterum iterumque docere studet, ὅτι καὶ πρότερον ἡ πόλις ἡμῶν δικαίως τῆς θαλάττης ἦρξε καὶ νῦν οὐκ ἀδίκως ἀμφισβητεῖ τῆς ἡγεμονίας velut § 25 de autochthonia: καίττι χρὴ τοὺς εὐλόγως μέγα φρονοῦντας καὶ περὶ τῆς ἡγεμονίας δικαίως ἀμφισβητοῦντας καὶ τῶν πατρίων πολλάκις μεμνημένους τοιαύτην ἀρχὴν τοῦ γένους ἔχοντας φαίνεσθαι.

33: de inventione frumenti καὶ μὴν ὅσης προσήκει τιμῆς τυγχάνειν τοὺς τηλικούτων ἀγαθῶν αἰτίους περίεργον διδάσκειν.

37 de coloniis: καίτοι τίς ἂν ταύτης ἡγεμονίαν ἐπιδείξειεν ἢ πατριωτέραν τῆς πρότερον γενομένης;

57 de Heraclidis: ἐκ δὴ τούτων ῥᾴδιον κατιδεῖν, ὅτι καὶ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἡ πόλις ἡγεμονικῶς εἶχε.

63 de Argivis supplicibus: οὐ δήπου πάτριόν ἐστιν ἡγεῖσθαι τοὺς ἐπηλύδας τῶν αὐτοχθόνων οὐδὲ τοὺς εὖ παθόντας τῶν εὖ ποιησάντων οὐδὲ τοὺς ἱκέτας γενομένους τῶν ὑποδεξαμένων.

66 de bellis barbarorum: δοκεῖ δέ μοι καὶ περὶ τῶν πρὸς τοὺς βαρβάρους τῇ πόλει πεπραγμένων προσήκειν εἰπεῖν, ἄλλως τ' ἐπειδὴ καὶ τὸν λόγον κατεστησάμην περὶ τῆς ἡγεμονίας τῆς ἐπ' ἐκείνους.

Plurimus autem est in bello Persarum, quo Athenienses optime de Graecis meruerant principatumque obtinuerant.

Simul populares, cum veniat συμβουλεύσων περὶ . . . τῆς ὁμονοίας, docere studet, quid boni concordia Athenienses et Lacedaemonii olim adepti sint et iterum adepturi sint, si pariter consenserint.

Itaque consulto Lacedaemoniorum merita praedicat, etsi non ita honeste se gesserunt. Facit (§ 86) aemulantes inter se Spartiatas et Athenienses, quorum alteri soli periculum subire, alteri participes discriminis esse summo studio cupiunt. Ὡς πρὸς ἀλλήλους ἀγωνιῶντες (91) Lacedaemonii ad Thermopylas, Athenienses ad Artemisium hostes sustinebant; quod illi incommodum acceperint, merito eorum factum non esse; nam ταῖς ψυχαῖς νικῶντες τοῖς σώμασιν ἀπεῖπον — οὐ γὰρ δὴ τοῦτό γε θέμις εἰπεῖν, ὡς ἡττήθησαν, οὐδεὶς γὰρ αὐτῶν φυγεῖν ἠξίωσεν [1]).

Porro ut Athenienses principatu dignos esse appareat, felicitatem sociorum describit, qua per septuaginta annos usi sunt. Inhevitur (§ 110) in Atheniensium obtrectatores et ostendit, quanta calamitas Graecis evenerit, ex quo tempore alii iis praesint. Etenim principatu Atheniensibus erepto barbari in Graeciam navigaverunt, Peloponnesum vexaverunt, Persarum rex ὁ διοικῶν τὰ τῶν Ἑλλήνων factus est. Itaque Lacedaemoniis principatum nullo modo concedi posse, praesertim cum superbissime in Graecos se gesserint (usque ad paragraphum 132).

Insequentibus capitibus Isocrates ad concordiam cohortatur (133—137) et ad bellum cum Persis gerendum (138—182). Quae tamen omitti possunt, cum nihil pertineant ad epitaphium, quippe qui plurimus sit in laude maiorum. Itaque si epitaphii auctor panegyricum adhibuit, eam tantum partem spoliare potuit.

Perlustremus iam breviter epitaphium. Cuius propositum prorsus a panegyrico abhorrere consentaneum est. Omnes

---

[1]) Valde errare mihi videntur, qui Lacedaemoniorum laudes inde repetunt, quod tum maxime, cum ille locus scriptus est, Athenienses et Lacedaemonii amicitia utebantur. Immo potius ex orationis proposito explicandae sunt.

enim fabulas omniaque bella ideo commemorantur, ut laudes Atheniensium repeteret scriptor.

I. praefatio: iisdem fere omnibus sententiis passim apud Isocratem occurrimus.

II de Atheniensium bellis:

1. de Amazonibus 4—6.
2. de Adrasto 7—10.
3. de Heraclidis 11—16.

Deinde Atheniensium laudibus, quas in pace meruerunt, (autochthonia, re publica, legibus) expositis scriptor ita pergit, ut

4. de bellis Persarum 20—47 (de proelio Plataeensi * 44—47),
5. de pentecontaetia * 48—53

copiosissime dicat.

Sequitur § 54—57 brevis illorum temporum felicitatis descriptio et 58—60 eorum incommodorum enumeratio, quae post bellum Peloponnesiacum Graecis acciderunt. Tum perseverat in laudibus Atheniensium et loquitur

6. de Thrasybulo * 61—65,
7. de mercennariis * 66.

A paragrapho 67 usque ad finem epitaphius ipse legitur.

Praeter quattuor illas partes asterisco signatas omnia fere iisdem saepe verbis apud Isocratem invenimus (praeter proelium Plataeense, pentecontaetiam, Thrasybuli et mercennariorum laudes).

2. Quae Isocratis sint propriae sententiae.

Tamen ea re nondum demonstratur epitaphium ex panegyrico excerptum esse. Itaque Isocratem si in epitaphio deprehendere volumus, deliberandum est, quae maxime propriae sint Isocratis sententiae, quibus tota oratio ita imbuta est, ut is qui aliquam partem spoliat, facere non possit, quin eas quoque vel invitus exscribat.

Tales vero sententiae tres inveniuntur:

1. Primum solis Atheniensibus principatum tribuendum esse extisimat. Lacedaemonii enim pace Antalcidea facta

Graeciam se a barbaris defendere neque posse neque velle palam professi erant. Unde factum est, ut civitates Atheniensibus denuo studia inclinarent. Quo vero magis atque citius omnium animi conciliarentur, Isocrates panegyricum composuit. Recte igitur a nullo ante se illam sententiam tractatam esse affirmat, quia tum prima facultas data esse videtur pristinae potentiae recuperandae.[1])

2. Deinde Isocrates, quippe qui omnium Graecorum in barbaros bellum ciere velit, Gorgiae studia panhellenica sectatur, qui item trophaea a barbaris reportata carmina, a Graecis nenias postulare dicit. Neque Atheniensium partes sequitur ideo, ut privata commoda eis paret, sed ut totius Graecae nationis saluti provideat.

3. Tum, etsi Lacedaemoniorum superbiam reliquis locis vehementissime vituperet, tamen in bello Persarum describendo, ut ostendat, quid boni ex concordia nascatur, Lacedaemoniorum facta consulto laudat studiumque eorum Graeciae liberandae proponit.

Quae sententiae ab epitaphii argumento in honorem virorum habiti, qui contra Lacedaemonios pugnantes caesi sunt, valde abhorrent; de principatu vero Atheniensibus vindicando si quid inveniamus, nemini nisi Isocrati, huius sententiae inventori, debetur.

Quibus indiciis melius quam singulis verbis, uter prior sit, diiudicabimus.

3. De principatu Atheniensibus vindicando.

Perlustremus igitur epitaphium, num tale quid inveniamus. Atque cum fabulis antiquissimis principatum deberi Atheniensibus Isocrates satis artificiose demonstravisset, epitaphii scriptor facile illam sententiam omittere potuit. Merito vero iustissimisque nisi causis ex belli Persarum temporibus demum Athenienses Graecis se praeesse oportere dicebant. Itaque ea orationis parte certissime quaestio diiudicabitur.

Narrat igitur Isocrates bella cum Dario et Xerxe gesta Plataeensi proelio non commemorato. Tum ut obtrectatores

[1]) cf. Wilamowitzii „Aristoteles und Athen“ II p. 384.

Atheniensium principatus refutet, sociorum felicitatem, qua septuaginta annos usi sunt, ita describit: (§ 103)

I. ἐπι τοίνυν τῆς ἡμετέρας ἡγεμονίας εὑρήσομεν καὶ τοὺς οἴκους τοὺς ἰδίους πρὸς εὐδαιμονίαν πλεῖστον ἐπιδόντας καὶ τὰς πόλεις μεγίστας γενομένας.

Cuius rei causae afferuntur:

1. οὐ γὰρ ἐφθονοῦμεν ταῖς αὐξανομέναις αὐτῶν

2. οὐδὲ ταραχὰς ἐνεποιοῦμεν πολιτείας ἐναντίας παρακαθιστάντες, ἵν' ἀλλήλοις μὲν στασιάζοιεν, ...

3. ἀλλὰ τὴν τῶν συμμάχων ὁμόνοιαν κοινὴν ὠφέλειαν νομίζοντες τοῖς αὐτοῖς νόμοις ἁπάσας τὰς πόλεις διῳκοῦμεν . . . τῷ μὲν πλήθει βοηθοῦντες, ταῖς δὲ δυναστείαις πολεμοῦντες, δεινὸν ἡγούμενοι τοὺς πολλοὺς ὑπὸ τοῖς ὀλίγοις εἶναι.

Quae breviter § 106 ita comprehenduntur: ἑβδομήκοντ' ἔτη διετέλεσαν ἄπειροι μὲν τυραννίδων, ἐλεύθεροι δὲ πρὸς τοὺς βαρβάρους, ἀστασίαστοι δὲ πρὸς σφᾶς αὐτούς, εἰρήνην δ' ἄγοντες πρὸς πάντας ἀνθρώπους.

Quae omnia optime argumento inserviunt: Atheniensium intererat dediticios non confirmari, sed domestica discordia distrahi, quo magis sibi dicto audientes essent. Sed tantum afuit, ut eos turbarent, ut eos participes rei publicae optimae formae facerent causamque discordiae, tyrannos, expellerent. Itaque quoniam apud omnes socios pax et felicitas sub illorum principatu fuit, iterum imperium ad eos deferatur oportet.

Sequitur contrarium (115—117):

II. „Prorsus alia Graecorum condicio nunc est: τοσοῦτον δ' ἀπέχουσι τῆς ἐλευθερίας καὶ τῆς αὐτονομίας, ὥςθ' αἱ μὲν ὑπὸ τυράννοις εἰσί, τὰς δ' ἁρμοσταὶ κατέχουσιν, ἔνιαι δ'ἀνάστατοι γεγόνασι, τῶν δ' οἱ βάρβαροι δεσπόται καθεστήκασιν.

III. Tum redit ad pristinam felicitatem describendam: οὓς ἡμεῖς . . . οὕτω διέθεμεν, ὥςτε μὴ μονόν παύσασθαι στρατείας ἐφ' ἡμᾶς ποιουμένους, ἀλλὰ καὶ τὴν αὐτῶν χώραν ἀνέχεσθαι πορθουμένην, καὶ διακοσίαις καὶ χιλίαις ναυσὶ περιπλέοντας εἰς τοσαύτην ταπεινότητα κατεστήσαμεν, ὥςτε μακρὸν πλοῖον ἐπὶ τάδε Φασήλιδος μὴ καθέλκειν ἀλλ' ἡσυχίαν ἄγειν.

IV. Tum iterum contrarium proponit[1]): καὶ ταῦθ' ὅτι

[1]) § 119.

διὰ τὴν τῶν προγόνων τῶν ἡμετέρων ἀρετὴν οὕτως εἶχεν αἱ τῆς πόλεως συμφοραὶ σαφῶς ἐπέδειξαν· ἅμα γὰρ ἡμεῖς τε τῆς ἀρχῆς ἀπεστερούμεθα καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἀρχὴ τῶν κακῶν ἐγίγνετο. μετὰ γὰρ τὴν ἐν Ἑλλησπόντῳ γενομένην ἀτυχίαν ἑτέρων ἡγεμόνων καταστάντων ἐνίκησαν μὲν οἱ βάρβαροι ναυμαχοῦντες, ἦρξαν δὲ τῆς θαλάττης, κατέσχον δὲ τὰς πλείστας τῶν νήσων, ἀπέβησαν δ' εἰς τὴν Λακωνικήν, Κύθηρα δὲ κατὰ κράτος εἷλον, ἅπασαν δὲ τὴν Πελοπόννησον κακῶς ποιοῦντες περιέπλευσαν.

Praeclare his verbis tempora, quibus principatus penes Athenienses erat, iis temporibus, quibus Lacedaemonii Graecis imperant, opponuntur, omnesque sententiae sapientissime dispositae maximeque idoneae, quibus prioris felicitatis desiderium excitetur, eo consilio excogitatae esse videntur, ut omnes nullam salutem inveniri posse nisi Atheniensium virtute intellegerent. Equidem nihil animadverto, cur sententiam ullam ex alio contextu inconcinne eo translatam esse suspicer.

Age nunc videamus, quomodo epitaphii auctor illis sententiis usus sit.

Ipse quoque satis copiose Darii et Xerxis bella narrat proeliumque Plataeense nonnullasque res ab Atheniensibus pentecontaetia gestas addit. Narrationem tum ita interrumpit (54): καθ' ἕκαστον μὲν οὐ ῥᾴδιον τὰ ὑπὸ πολλῶν κινδυνευθέντα ὑφ' ἑνὸς ῥηθῆναι . . . . τίς γὰρ ἂν ἡ λόγος ἢ χρόνος ἢ ῥήτωρ ἱκανὸς γένοιτο μηνῦσαι τὴν τῶν ἐνθάδε κειμένων [1]) ἀνδρῶν ἀρετήν. Deinde cur virtus veterum Atheniensium satis laudari non possit exponit 55: I [2]) μετὰ πλείστων γὰρ πόνων καὶ φανερωτάτων ἀγώνων καὶ καλλίστων κινδύνων ἐλευθέραν μὲν ἐποίησαν τὴν Ἑλλάδα,

μεγίστην δ' ἀπέδειξαν τὴν ἑαυτῶν πατρίδα

1. ἑβδομήκοντα ἔτη τῆς θαλάττης ἄρξαντες (= Is. § 106).

2. ἀστασιάστους δὲ παρασχόντες τοὺς συμμάχους, (56) οὐ τοῖς ὀλίγοις τοὺς πολλοὺς δουλεύειν ἀξιώσαντες, ἀλλὰ τὸ ἴσον ἔχειν ἅπαντας ἀναγκάσαντες (= Is. I 2 et 3)

3. οὐδὲ τοὺς συμμάχους ἀσθενεῖς ποιοῦντες, ἀλλὰ κἀκείνους ἰσχυροὺς καθιστάντες (= Is. I 1).

[1]) illis quinquaginta annis caesos et in Ceramico sepultos dicit.

[2]) cf. numeros ad Isocratis verba autea appositos.

III. καὶ τὴν αὑτῶν δύναμιν τοσαύτην ἐπιδείξαντες ὥςθ' ὁ μέγας βασιλεὺς οὐκέτι τῶν ἀλλοτρίων ἐπεθύμει, ἀλλ' ἐδίδου τῶν ἑαυτοῦ καὶ περὶ τῶν λοιπῶν ἐφοβεῖτο, (57) καὶ οὔτε τριήρεις ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐκ τῆς Ἀσίας ἔπλευσαν

II οὔτε τύραννος ἐν τοῖς Ἕλλησι κατέστη οὔτε Ἑλληνὶς πόλις ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἠνδραποδίσθη.

Τοσαύτην ςωφροσύνην καὶ δέος ἡ τούτων ἀρετὴ πᾶσιν ἀνθρώποις παρεῖχεν. ὧν ἕνεκα δεῖ καὶ προστάτας τῶν Ἑλλήνων καὶ ἡγεμόνας τῶν πόλεων γίγνεσθαι.

IV. (58) Ἐπέδειξαν δὲ καὶ ἐν ταῖς δυστυχίαις τὴν ἑαυτῶν ἀρετήν. Ἀπολομένων γὰρ τῶν νεῶν ἐν Ἑλληστόντῳ εἴτε ἡγεμόνος κακίᾳ εἴτε θεῶν διανοίᾳ, καὶ συμφορᾶς ἐκείνης μεγίστης γενομένης καὶ ἡμῖν τοῖς δυστυχήσασι καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν, ἐδήλωσαν οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον (= ἅμα Isocr.), ὅτι ἡ τῆς πόλεως δύναμις τῆς Ἑλλάδος ἦν σωτηρία.

Ἑτέρων γὰρ ἡγεμόνων γενομένων ἐνίκησαν μὲν ναυμαχοῦντες τοὺς Ἕλληνας οἱ πρότερον εἰς τὴν θάλασσαν οὐκ ἐμβαίνοντες, ἔπλευσαν δ' εἰς τὴν Εὐρώπην, δουλεύουσι δὲ πόλεις τῶν Ἑλλήνων, τύραννοι δ' ἐγκαθιστᾶσιν . . . .

ὡς δυστυχὴς μὲν ἡ Ἑλλὰς τοιούτων ἀνδρῶν ὀρφανὴ γενομένη, εὐτυχὴς δ' ὁ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς ἑτέρων ἡγεμόνων λαβόμενος . . .

τῇ μὲν γὰρ τούτων στερηθείσῃ δουλεία περιέστηκεν, τῷ δ' ἄλλων ἀρξάντων ζῆλος ἐγγίγνεται τῆς τῶν προγόνων διανοίας.

Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐξήχθην ὑπὲρ πάσης ὀλοφύρασθαι τῆς Ἑλλάδος.

Atque ut primum de paragraphis 55 et 56 (= I) loquar, quemnam ad finem scriptor haec omnia disserit? Nempe ut Atheniensium pentecontaetia caesorum virtutem demonstret, quae cognosci possit

1. eo quod Graeciam liberaverunt,

2. quod patriam amplissimam reddiderunt:

a) principatu septuaginta annorum,

b) pace et quiete sociorum participum factorum Atheniensium rei publicae,

c) sociis non debilitatis sed confirmatis.

Quae si comparamus cum Isocrate, statim in panegyrico de sociorum oppidis, in epitaphio de Athenis ipsis dici vide-

mus. Apud Isocratem αἱ πόλεις Atheniensium principatu ἑβδομήκοντ' ἔτη διετέλεσαν ἄπειροι μὲν τυραννίδων, ἐλεύθεροι δὲ πρὸς τοὺς βαρβάρους, ἀστασίαστοι δὲ πρὸς σφᾶς αὐτούς, tamque diu pace usae potentissimae factae sunt; apud Lysiam Atheniensium civitas principatu amplissima reddita est.

Sed ut utrumque recte dici potuerit, quid socii non turbati ad Atheniensium civitatis potentiam pertinent? Quomodo suam patriam Athenienses maximam reddiderunt ἀστασιάστους παρασχόντες τοὺς συμμάχους . . . οὐδὲ τοὺς συμμάχους ἀσθενεῖς ποιοῦντες? Quae sententiae ut apud Isocratem sociorum oppida aucta esse demonstraturum rectissime se habent, ita ab epitaphii argumento plane abhorrent. Immo contrarium exspectaveris: etenim quo magis dediticii dividuntur, eo potentior ea civitas, quae pincipatum obtinet, fieri solet faciliusque omnibus imperat. Pace et quiete sociorum ceterisque commodis, quae enumerantur, sociorum oppida crescebant, non Athenae.

Itaque quoniam tractatio cum proposito minime congruit, quippe quae ad longe alium finem excogitata sit, facere non possumus, quin Isocratis sententias priores esse statuamus. Nam inconcinno apud Lysiam enuntiationum nexu apparet epitaphii auctorem, cum argumentorum diversitatem sentiret, primo quidem τὰς πόλεις, quae apud Isocratem leguntur, mutavisse in τὴν ἑαυτῶν πατρίδα sibique constantem eam principatu crescentem fecisse. Sed utinam etiam reliqua ad suum propositum formasset! Nunc autem principatu commemorato prorsus in Isocratis cursum delapsus ἀστασιάστους δὲ παρασχόντες τοὺς συμμάχους reliquaque addidit, quippe cum in paragrapho 106, unde principatum sumpserat, et antea (103) eandem sententiam invenisset. Qua re adductus ipse quoque sociorum felicitatem describit ac ne illud quidem Isocratis omittit: οὐ γὰρ ἐφθονοῦμεν ταῖς αὐξανομέναις αὐτῶν. Nam Isocratis insequentis sententiae figuram imitatus (οὐδὲ ταραχάς — ἀλλὰ) οὐδὲ, inquit, τοὺς συμμάχους ἀσθενεῖς ποιοῦντες, ἀλλὰ κἀκείνους ἰσχυροὺς καθιστάντες. Incertis tamen notionibus ἀσθενεῖς et ἰσχυροὺς Isocratis certam sententiam oblimari quis non senserit?

Idem vero colligi potest ex illo participio καὶ τὴν αὑτῶν δύναμιν τοσαύτην ἐπιδείξαντες etc. (= III). Etenim si totius sententiae constructionem deliberamus, has ineptias invenimus: μεγίστην δ'ἀπέδειξαν τὴν ἑαυτῶν πατρίδα . . . τὴν αὑτῶν δύναμιν τοσαύτην ἐπιδείξαντες. Cuius tautologiae explicatio ex Isocrate repetenda est.

Paragraphis enim 115—117 Isocratem, ut eo vehementius omnes contrario commoveat, ostendere supra vidimus, quae rerum Graecarum commutatio pacem Antalcideam sit secuta, ac deinde ad Atheniensium principatum describendum redire. Itaque epitaphii scriptor, cum pacis Antalcideae mala cognita habere nollet, illam panegyrici descriptionum varietatem, qua vehementissime commovemur, sustulit omniaque, quae de pristina Graecorum fortuna disputata sunt, coniunxit. Qua in re Lysiae evenisse videmus, quod interdum neglegenti compilatori accidere solet. Duarum enim in exemplari diversarum sententiarum altera temere mutata, etiam alteram, etsi propter mutationem nihil a priore differt, addit, cum scriptor prorsus in exemplaris cogitatione versetur pristinamque diversitatem etiam tum sentiat. Nam cum alteram de Persarum humilitate disputationem una cum exordio οὓς ἡμεῖς οὕτω διέθεμεν (= τὴν ἑαυτῶν δύναμιν τοσαύτην ἐπιδείξαντες) transferret, eum effugit iam superiorem locum ita formavisse, ut de Atheniensium potentia loqueretur. Apud Isocratem, cum priore loco de sociorum oppidis verba fecisset, posteriore de ipsis Atheniensibus (ἡμεῖς), tautologia ne tum quidem efficeretur, si omnia, quae intercedunt, deessent. Aliter vero apud Lysiam res se habet, qui bis idem narrat, eo molestius, quod iis, quae panegyrici § 117 continentur omissis Isocratis sententias multis participiis coartatis uni enuntiationi τὴν ἑαυτῶν πατρίδα μεγίστην ἀπέδειξαν subiecit.

Atque ipsum scriptorem sensisse Atheniensium merita, propter quae principatu digni sint, a se describi, apparet his ipsius verbis: ὧν ἕνεκα δεῖ μόνους καὶ προστάτας τῶν Ἑλλήνων καὶ ἡγεμόνας τῶν πόλεων γίγνεσθαι.

Hic tandem αἱ πόλεις initio dissimulatae occurrunt, quarum felicitatem iam antea clam descripserat, scriptorque

ipse Atheniensium virtutem frustra demonstrare conatus Isocratis propositum palam profitetur. Quid enim in epitaphio principatus sibi vult?

Qui autem principatum obtinere debent? An ii Atheni-enses, qui pentecontaetia caesi sunt? De illis enim tantum loquitur. Propositi igitur oblitus Isocratem sequitur de suae aetatis Atheniensibus verba facientem illisque principatum vindicaturum.

Cur porro solos eos Graeciae praeesse oportet? quia virtute Graeciam liberaverunt suamque patriam maximam reddiderunt, an quia Graeciae melius fuit Atheniensibus imperantibus quam Lacedaemoniis? Nempe in eos illud μόνους dictum esse videtur, quippe qui maleficiis post pacem Antalcideam principatu indignos se praebuerint in panegyrico descriptis. Nec desunt vestigia illius partis (115—117); certe paragraphum 106, qua sociorum felicitatem breviter complectitur, pacis Antalcideae calamitates infra copiosius tractandas proponit, cognitam habuit.

Etenim quo loco § 57 epitaphii tyranni commemorantur, haud dubie lectorem offendunt, cum de barbaris aliquid dictum exspectes, non de Graecis. Nam exponere conatur potentiam Atheniensium. Recte igitur commemorat regem a popularibus vetitum esse navibus longis ex Asia vehi et Graecos cives sub corona vendere. Quid vero tyranni ad potentiam Atheniensium? Loquitur enim scriptor de bellis Persarum et de illa potentia, quam in exteras nationes praestiterunt. Itaque nisi forte illos tyrannos Graecarum in Asia urbium satrapas esse putas, Isocratis vestigia Lysiam legisse statuas.

Cum tyranni et harmostae Lacedaemoniorum principatus maxime proprii essent oppidaque vehementissime vexarent, Isocrates suo iure in describendo Atheniensium principatu de tyrannis infra disputaturus Athenienses eos expulisse praedicat, nempe ut contrarium suis temporibus accidisse aequales praemoneat. Insequenti ergo descriptione tantum commotus Isocrates tyrannos pristinamque oppidorum Asiaticorum libertatem commemorat. Itaque recte negativa enuntiatione ἄπειροι, ἐλεύθεροι utitur; nam si quid antea non fuisse

dicitur, nunc id esse conceditur. In epitaphio vero, cum ea descriptio desideretur scriptorque ante pacem Antalcideam orationem scriptam esse fingat, negativae sententiae tyrannisque locus iam non est.

Sequitur, ut epitaphii paragraphum 58 cum panegyrico conferamus (= IV).

Persarum pristina humilitate exposita Isocrates ad Graecorum calamitatem orationem flectit, quidque ἑτέρων ἡγεμόνων καταστάντων perpessi sint exponit. Omnia optime proposito inserviunt et Graecos non servari posse nisi Atheniensium principatu ostendunt. Quae cum ita sint, ἀρετῆς vocabulum nullius momenti est; nam καὶ ταῦθ' ὅτι διὰ τὴν τῶν προγόνων τῶν ἡμετέρων ἀρετὴν οὕτως εἶχεν nihil aliud valet nisi „quia penes maiores nostros imperium erat, res tam prosperae erant." Opponuntur igitur inter se οἱ πρόγονοι οἱ ἡμέτεροι et οἱ ἕτεροι ἡγεμόνες, sententiaque καὶ ταῦθ' ὅτι — ἀρχὴ τῶν κακῶν ἐγένετο prior pars, qua Persarum humilitas describitur, cum insequenti, quae est de Persarum tum condicione, coniungitur.

Epitaphii scriptor, cum dispositionem panegyrici sequatur, ipse quoque tempora mutata queritur. Tamen cum laudes Atheniensium sibi tractandas proposuerit principatumque initio ideo tantum commemoraverit, ut inde laudes repeteret, suo iure ἀρετῆς vocabulo maximam vim tribuit et Isocratis verba ita vertit: ἐπέδειξαν δὲ καὶ ἐν ταῖς δυστυχίαις τὴν ἑαυτῶν ἀρετήν. Qui vero sic exorditur, eum praeclara facta narraturum esse recte putaveris, quibus intrepidum casu devictorum animum cognoscas, velut Thrasybuli reditum, murorum exstructionem alia. Atque obversatam esse initio eam sententiam scriptori inde intellegimus, quod infra talia attulit. Quominus vero statim post illud exordium ea narraret, Isocratis panegyrico impeditus est. Nam ut iam supra τὰς πόλεις frustra in τὴν ἑαυτῶν πατρίδα mutatas esse vidimus, quoniam ea, quae sequuntur, non item ad novam sententiam formavit, ita hoc quoque loco ineptissime sic pergit: ἀπολομένων γὰρ τῶν νεῶν ἐν Ἑλλησπόντῳ . . . καὶ συμφορᾶς ἐκείνης μεγίστης γενομένης καὶ ἡμῖν τοῖς δυστυχήσασι καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν ἐδήλωσαν οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον (= ἅμα apud Isocratem!), ὅτι ἡ τῆς πόλεως

δύναμις τῆς Ἑλλάδος ἦν σωτηρία (!) Quidvis potius exspectes quam hanc absurdum sententiarum nexum: „Sed etiam in rebus adversis virtutem praebuerunt, eo quod paullo post suam potentiam Graeciae praesidium fuisse ostenderunt.“ Immo potius calamitates, quae Atheniensium potentia debilitata Graecis acciderunt, ostenderunt pristinam felicitatem eis deberi. Recte igitur apud Isocratem solum sententia se habet.

Sed non solum verba ἐπέδειξαν δὲ καὶ ἐν ταῖς δυστυχίαις τὴν ἑαυτῶν ἀρετὴν pessumdata sunt, sed etiam quae sequuntur.

Primum enim offendimur vocabulo δυνάμεως. Aptius ita locutus esset: ἀπολομένων γὰρ τῶν νεῶν . . . ἐδήλωσαν οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον, ὅτι ἡ τῆς πόλεως ἀρχὴ τῆς Ἑλλάθος ἦν σωτηρία. Nam ea quae sequuntur: ἑτέρων γὰρ ἡγεμόνων καταστάντων ad verbum paene ex Isocrate exscripta illud vocabulum plane desiderant et postulant. Si δύναμις recte se haberet, sententiam ita exordiri oportuit: „etenim illa fracta“. Noluit igitur scriptor Isocratis argumentum profiteri Tamen vero pro ἀρχῇ δυνάμει posita incautius postea exemplar, sicuti identidem antea, secutus est.

Deinde autem συμφορᾶς ἐκείνης μεγίστης γενομένης (καὶ ἡμῖν τοῖς δυστυχήσασι καὶ) τοῖς (ἄλλοις) Ἕλλησιν ἐδήλωσαν . . . ὅτι ἡ τῆς πόλεως δύναμις τῆς Ἑλλάδος ἦν σωτηρία tautologia est.

Dicere enim debuit aut: ἀπολομένων γὰρ τῶν νεῶν ἐν Ἑλλησπόντῳ ἡ συμφορὰ ἐκείνη μεγίστη ἐγένετο οὐ μόνον ἡμῖν τοῖς δυστυχήσασιν ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν, aut: ἀ. γ. τ. ν. ἐν Ἑλλησπόντῳ ἐδήλωσαν οὐ πολλῷ ὕστερον, ὅτι ἡ τῆς πόλεως δύναμις τῆς Ἑλλάδος ἦν σωτηρία vel multo aptius, quia infra Graecorum calamitates describit: ὅτι ἡ τῆς πόλεως ἥττα <καὶ> τῆς Ἑλλάδος ἦν συμφορά. Nunc autem auctor ad ἀπολομένων γὰρ τῶν νεῶν ἐν Ἑλλησπόντῳ (= Is. ἅμα γὰρ ἡμεῖς τε τῆς ἀρχῆς ἀπεστερούμεθα) alteram Isocrateae enuntiationis partem (= καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἀρχὴ τῶν κακῶν ἐγένετο) genetivi absoluti constructione ita addidit: καὶ συμφορᾶς ἐκείνης μεγίστης γενομένης τοῖς Ἕλλησιν. Tum ut sententiam perficeret, illam alteram partem repetivit verbis ita mutatis, ut pro συμφορᾷ contrarium, σωτηρίαν, poneret reliquaque ad eam formaret. Quam

tautologiam dissimulat primum mutatis verbis, deinde autem illa partitione: καὶ ἡμῖν τοῖς δυστηχήσασι καὶ τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν. Tamen, si recte intellegimus, ita loquitur: Navibus amissis, quae calamitas omnibus Graecis accidit, maiores ostenderunt potentiam suam [salvam saluti fuisse], fractam maximae calamitati esse omnibus Graecis.

Certe sententiam ex Isocratea sincerissima ἅμα γὰρ ἡμεῖς τε τῆς ἀρχῆς ἀπεστερούμεθα καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἀρχὴ τῶν κακῶν ἐγένετο auctam esse itemque atque illam Atheniensibus principatum deberi demonstrare manifestissimum est.

Sed ne aliam quidem epitaphii scriptoris inconcinnitatem omittamus Parum enim caute egit in enarrandis incommodis, quae ereptum Atheniensibus principatum secuta sunt. Nam cum pacem Antalcideam antea diligentissime dissimulavisset, hic neglegentius δουλεύουσι δὲ πόλεις Ἑλλήνων exscripsit, quae verba ad Graeca Asiae oppida pertinent pace Antalcidea Persis tradita; cf Isocr. 119: ἄξιον . . . μέμψασθαι δὲ Λακεδαιμονίους, ὅτι . . . τοῖς βαρβάροις αὐτοὺς (τοὺς Ἴωνας) ἐξέδοσαν. Itaque regi gratulatur de rerum commutatione post pacem Antalcideam facta. Nam ex illo tempore ἐκεῖνός ἐστιν ὁ διοικῶν τὰ τῶν Ἑλλήνων καὶ προστάττων[1]).

Sed iam accedamus ad alteram Isocratis propriam sententiam

4. De Isocratis studiis panhellenicis.

E Persarum belli temporibus magis magisque Graeci, quotquot in gentes divisi sint, tamen se unam nationem efficere barbarisque oppositos esse sentiunt. Itaque ea sententia etiam apud Isocratem invenitur, quippe qui omnium Graecorum expeditionem Atheniensibus ducibus in barbaros fieri velit, iniuriasque alicui Graecorum genti illatas, licet sit infestissima Atheniensibus, totius nationis calamitatem existimat. Itaque suo iure victoriam Cnideam et expeditionem Persarum classis, etsi Atheniensis ei praeerat, exsecratur

[1]) Isocr. paneg. 120.

Gorgiam secutus: εὕροι δ' ἄν τις ἐκ μὲν τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους ὕμνους πεποιημένους, ἐκ δὲ τοῦ πρὸς τοὺς Ἕλληνας θρήνους ἡμῖν γεγενημένους, καὶ τοὺς μὲν ἐν ταῖς ἑορταῖς ἀδομένους, τοὺς δ' ἐπὶ ταῖς συμφοραῖς ἡμᾶς μεμνημένους [1])

Tantum vero afuisse puto, ut Isocratis populares ab eius iudicio starent, ut illa victoria, qua urbis moenia refecta sunt, Peloponnesique vastatione vehementer gloriarentur neque nefas putarent Lacedaemonios, a quibus tantis cladibus affecti erant, invicem vexare.

Multo magis eam opinionem in epitaphio exspectes in honorem eorum habito, qui a Lacedaemoniis caesi sunt. Quid enim absurdius est quam mortuorum propinquis demonstrare filios fratresque iniusto bello cecidisse? Itaque si epitaphii scriptor illa facta commemorare voluit, tamquam summa laude digna praedicare debuit, praesertim cum eodem bello accidissent, de quo funebrem orationem habebat.

Tamen item atque Isocrates Lacedaemoniorum calamitatem ut omnium Graecorum cladem queritur: 58: ἑτέρων γὰρ ἡγεμόνων γενομένων ἐνίκησαν μὲν ναυμαχοῦντες τοὺς Ἕλληνας <scilicet οἱ μετὰ Κόνωνος!>, ἔπλευσαν δ' εἰς τὴν Εὐρώπην, δουλεύουσι δὲ πόλεις τῶν Ἑλλήνων κτλ.

Apud Isocratem, qui venit συμβουλεύσων περί τε τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τῆς ὁμονοίας optime illae sententiae argumento inserviebant; in epitaphio plane absurdae sunt. Etenim, ut Dobrei verbis utar, „quid commiserant barbari? Lacedaemonios ultro bellum inferentes depulerant, cum iustissime, tum Atheniensibus utilissime; quibus praeterea belli suscipiendi socios pecunia sua comparaverant, muros refecerant, classem instruxerant; quos denique omni ope foverant. Quin illa ipsa victoria, quam tam tragice abominatur, maris imperium a Laconibus ad Athenienses transtulerat“.[2])

Recte vir doctus Lysiam ita Athenis loqui non potuisse iudicat, quin vapularet. Nam si patriae sociis maledicit, pa-

---

[1]) Isocrat. pan. 158.

[2]) Adversaria 17.

triae ipsi obtrectat. Itaque eum Isocratis vestigia legisse suo iure statuit, licet priorem sententiae vim enuntiato leviter mutato delere studuerit Nam quasi senserit, quam non quadraret Cononis victoriae abominatio in epitaphium, vocabula „Λακωνικὴ“ et „Κύθ'ηρα“ et „Πελοπόννησος“ mutavit Ἕλλησι et Εὐρώπῃ. Praeterea in fine eius partis (60) haec addidit: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐξήχθην ὑπὲρ πάσης ὀλοφύρασθαι τῆς Ἑλλάδος, quibus verbis a proposito deflexum se esse ipse concedit.

Ergo hoc quoque loco epitaphii auctorem imitatorem deprehendimus.

Sequitur, ut breviter exponam quo animo in Lacedaemonios fuerit.

5. De Lacedaemoniorum et Atheniensium apud Isocratem consensione.

Pauegyrico Isocratem potentissimos maxime Graeciae populos inter se conciliare voluisse iam supra dictum est . . Conferas § 17: ἀλλὰ δεῖ . . . ἐκείνους τοὺς λόγους ζητεῖν, οἵτινες τὼ πόλεε τούτω πείσουσιν ἰσομοιρῆσαι πρὸς ἀλλήλας καὶ τὰς ἡγεμονίας διελέσθαι. Nam ex dissensione Graeciam summa incommoda capere pace Autalcidea manifestum est. Contra quid boni Graecis accidat, si principatum dividant certamenque ineant, utri Graeciae plus prosint, bello Persarum cognosci posse.

„Bellum Persarum, inquit, gesturi eundem animum induite ac patres vestri; qualis is fuerit, nunc audite: οἱ θ' ἡμέτεροι πρόγονοι καὶ Λακεδαιμόνιοι φιλοτίμως πρὸς ἀλλήλους εἶχον, οὐ μὴν ἀλλὰ περὶ καλλίστων ἐν ἐκείνοις τοῖς χρόνοις ἐφιλονίκησαν, οὐκ ἐχθροὺς ἀλλ' ἀνταγωνιστὰς σφᾶς αὐτοὺς εἶναι νομίζοντες, οὐδ' ἐπὶ δουλείᾳ τῇ τῶν Ἑλλήνων τὸν βάρβαρον θεραπεύοντες ἀλλὰ περὶ μὲν τῆς κοινῆς σωτηρίας ὁμονοοῦντες, ὁπότεροι δὲ ταύτης αἴτιοι γενήσονται περὶ τούτου ποιούμενοι τὴν ἅμιλλαν.“

Itaque veritatem non ita curans certamen inter Lacedaemonios et Athenienses ante proelium Marathonium exortum esse narrat, cum hi soli pro tota Graecia pugnare, illi adiuvare voluerint: 87: οὕτω σφόδρ' ἠπείχθησαν οἱ μὲν μετασχεῖν τῶν κιν-

δύνων, οἱ δὲ φθῆναι συμβαλόντες πρὶν ἐλθεῖν τοὺς βοηθήσοντας. Item patriae amantissimos se praestiterunt decem annis post, cum Xerxes in Graeciam irrumpebat. 90: ἀπήντων διελόμενοι τὸν κίνδυνον Λακεδαιμόνιοι μὲν εἰς Θερμοπύλας πρὸς τὸ πεζὸν . . . οἱ δ' ἡμέτεροι πατέρες ἐπ' Ἀρτεμίσιον κτλ Quo in certamine iterum Athenienses excellentes fuerunt, cum Lacedaemonii proditione circumvenirentur. 92: ἀλλ' οἱ μὲν διεφθάρησαν καὶ ταῖς ψυχαῖς νικῶντες τοῖς σώμασιν ἀπεῖπον — οὐ γὰρ δὴ τοῦτό γε θέμις εἰπεῖν, ὡς ἡττήθησαν· οὐδεὶς γὰρ αὐτῶν φυγεῖν ἠξίωσεν·

Isocratem igitur summa arte res, quamquam aliter acciderant, ad suum propositum formavisse, et Lacedaemoniorum laudes hoc loco aptissimas esse videmus. Licet aliis locis invehatur in eos eorumque superbiam vituperet, illo vero sui temporis Lacedaemoniis et Atheniensibus exemplum proponere eosque adhortari voluit, ut illos modestia imitarentur.

Num eadem de epitaphii scriptore dici possunt?

Cum de bello Lacedaemoniorum agatur, hostium laudes minime exspectaveris. Immo potius quae male gesserant iis vitio eum versurum esse credas, praesertim cum multa essent, quae summo iure vituperari possent.

Sed ne hic quidem Isocratem effugit, quippe cuius verba ad certissimum finem ita excogitata et ficta sint, ut funditus mutare debeas nisi veterem sensum ea redolere vis. Itaque utriusque civitatis certamen etiam in epitaphio invenitur (23): οὐκ ἀνέμειναν πυθέσθαι οὐδὲ βοηθῆσαι τοὺς συμμάχους, etsi Isocratis bipartitam sententiam οἱ μὲν οὐ περιέμειναν τοὺς συμμάχους, οἱ δ' οὐκ ἔφθησαν πυθόμενοι . . . καὶ . . . ἦκον ἡμῖν ἀμυνοῦντες delevit. Nam Athenienses tum demum habebant, cur tam vehementer cum hostibus congredi properarent (οὕτως δὲ διὰ ταχέων τὸν κίνδυνον ἐποιήσαντο, ὥστε = Is 87 σημεῖον δὲ τοῦ τάχους καὶ τῆς ἁμίλλης), si periculum erat, ne idem in sociis summum pugnandi studium esset.

Quam sententiam, dum Isocratem superare studet, absurde et immodice in contrarium vertit. Etenim sociis adeo non Atheniensibus auxilio venire in animo est, ut de salute omnino non timeant; 26: καὶ γάρ τοι οὐδεὶς τῶν ἄλλων ἔδεισεν

ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος κινδύνου, ἀλλ' ἀκούσαντες ὑπὲρ τῆς αὐτῶν ἐλευθερίας ἤσθησαν. Ita studio augendi seductus scriptor ipse sibi obest: etenim frustra Athenienses properavisse videntur, si omnino auxilii suspicio nulla fuit.

Multo vero magis Isocratem exemplar fuisse apparet ex Leonidae eorumque laudibus, qui ad Thermopylas pugnaverunt. Nam quid pertinet illud proelium ad Atheniensium laudes, nisi ut popularium virtutem maiorem fuisse quam Lacedaemoniorum, quibuscum tum bellabant, inde demonstret? Ut ab Isocrate principatum tum divisum esse propter propositum recte commemoratur, ita in epitaphio cur illa divisio referatur, causa non invenitur, nisi Isocratis vestigia eum legisse statuimus.

Conferas Isocratem (90): ἀπήντων διελόμενοι τὸν κίνδονον, Λακεδαιμόνιοι μὲν εἰς Θερμοπύλας πρὸς τὸ πεζὸν . . . τῶν συμμάκων ὀλίγους παραλαβόντες ὡς ἐν τοῖς στενοῖς κωλύσοντες αὐτοὺς περαιτέρω προελθεῖν, οἱ δ' ἡμέτεροι πατέρες ἐπ' Ἀρτεμίσιον ἑξήκοντα τριήρεις πληρώσαντες

cum Lysia (30) Ἀθηναῖοι δ' . . . αὐτοὶ μὲν εἰς τὰς ναῦς ἐμβάντες ἐπ' Ἀρτεμίσιον ἐβοήθησαν Λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ τῶν συμμάχων ἔνιοι εἰς Θερμοπύλας ἀπήντησαν ἡγούμενοι διὰ τὴν στενότητα τῶν χωρίων τὴν πάροδον οἷοί τ' ἔσεσθαι διαφυλάξαι.

Maxime vero Leonidae laudes offendunt: Λακεδαιμόνιοι δὲ οὐ ταῖς ψυχαῖς ἐνδεεῖς γενόμενοι, ἀλλὰ τοῦ πλήθους ψευσθέντος . . . οὐχ ἡττηθέντες τῶν ἐναντίων ,ἀλλ' οὗπερ ἐτάχθησαν μάχεσθαι κτλ

Adeo enim nemo a proposito sua sponte aberrare potest, nisi qui exemplo quodam seducitur.

Atque eum plane in Isocratis cogitationem transiise inde cognoscere licet, quod ne in Plataeensi quidem proelio enarrando Lacedaemoniorum laudes omitteret (46): ἀποδράντων δὲ ὑπὸ νύκτα τῶν πλείστων συμμάχων ἐκ τῶν τάξεων διὰ τὸ πλῆθος τῶν πολεμίων Λακεδαιμόνιοι μὲν καὶ Τεγεᾶται τοὺς βαρβάρους ἐτρέψαντο κτλ Quamquam ipso illo proelio Lacedaemonii non ita intrepide se gesserunt, sed ipsi quoque aciem deseruerant; quae tamen scriptor, Lacedaemoniorum hostis, benigne tacet. Qui si vere belli Corinthiaci temporibus nullo exemplo adhibito epitaphium composuisset, certe occasionem in Lacedae-

monios invehendi, qui Athenienses paullo ante ingentibus malis affecerant, non praetermisisset

7.

Quibus temporibus epitaphius scriptus sit.

Demonstrasse mihi videor epitaphium post panegyricum i. e. post annum 380 compositum esse. Quae cum ita sint, vehementer dubito, an Lysias orationem non scripserit, quoniam verisimile non est eum tam diu vixisse. Jam accedunt certo fundamento iacto causae illae a sermone repetitae ceteraeque, quibus solis parum profecimus, cur orationem funebrem Lysiae non esse censeamus.

Ante quod tempus epitaphius exortus sit, maxima adhuc dissensio est. Qua de re Wendlandus[1]) recte admonet scriptorem nondum de pace Cimonis loqui, cum iam Lycurgus (Leocr. 73) foedus litteris confectum esse narret, figurasque Gorgianas postea parce adhibitas immodice usurpatas esse. „Beide Momente sprechen, wenn auch nicht für die Echtheit, so doch für das hohe Alter des lysianischen Epitaphius.“ Neque aliter iudicavit Dielsius:[2]) „die Rede für ein Erzeugnis der nacharistotelischen Zeit zu halten, dazu rät kein stichhaltiges Anzeichen.“

[1]) Herm. XXV p. 181 annot.
[2]) l. c. p. 8.

Vita.

Natus sum Eugenius Wolff Berolini anno 1867 a. d. V. Kal. Nov. patre Eduardo Wolff, molae aquariae possessore, et matre Ottilia e gente Schmidt, evangelica confessione. Eruditus gymnasio Berolinensi Leucophaeo anno 1888 Martio mense ad universitatem Berolinensem dimissus sum, ut per quadriennium philologiae classicae et theologiae studerem. In studiis philologiae maxime profeci Dielsii et Vahleni scholis, tamen multum etiam Kirchhoffio, Huebnero, Curtio debeo. In philosophia Paulsenum et Zellerum magistros profiteor, quibus omnibus summam gratiam me habiturum esse polliceor.

Postquam anno 1893 Januario mense examen pro facultate docendi sustinui, vicarii munere in gymnasio Leibniziano nunc fungor.

Theses.

I. Verborum in — άω desinentium pro formis assimulatis vel distractis (velut δρόωσα, δράας) apud Homerum non contractae restituendae sunt.

II. Quae apud Tacitum dial. de or. 2 leguntur: „tamquam in eo tragoediae argumento sui oblitus“ sana sunt neque „non“ inserendum est.

III. Orationes sub Gorgiae nomine traditas spurias esse non satis constat.

IV. Lucretii libri a M. Tullio Cicerone, non a fratre editi sunt.

V. Errat Schopenhauerus, cum Kantii philosophiam se perfecisse contendit.

Druck von Max Schmersow vorm. Zahn & Baendel, Kirchhain N.-L.

3 2044 009 608 647

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.